Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
A
36
NAPOLI

Digitized by Google

DVPLEX TRACTATIO,

IN VNA

DE PRIMA TONSVRA,

non ordine, conferibili irregulari, ſine præuia diſpenſatione in ordine ad Beneficium non Sacerdotale.

Addita Reſolutione, in qua parte capitis vngendus ſit baptizandus à Parocho.

IN ALTERA

FORMVLARIO CRIMINALI

accommodatum Iudicibus Regularibus, qui non tenentur ad Apices Iuris (de quibus, in eius calce.)

Per Reueren. P. M. F. Franciſcum Bordonum Parmenſem Religionis Tertij Ordinis S. Franciſci publicę luci exhibita.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

MVTINÆ MDCLXIII.

Typis Bartholomæi Suliani Impreſſ. Ducalis.
Superiorum permiſſu.

Perilluſtri, & Reuerendiſſimo

D.D. IO. ANDREÆ

MANFREDINO I.V.D.

Nob. Mut. Dignitate Cantoriæ in Eccleſia Cathedrali fulgenti, & Epiſcopatus eiuſdem Ciuitatis Vicario Generali.

SIuè terris abdita ſapientia, vnicus mortalium theſauris, otioſis imperuius, materno foueatur ſinu; ſiuè Cęlis inſitam, nimÿs ſplendoribus obſcuram, Cęlites ſuum decus cæcutientibus inuideant, vt illam aut hinc extraheret, aut indè reuocaret, Reuerendiſſimo P. M. Bordoni ſudatum eſt. Compendioſius feciſſet, ſi te vnum breui tempore contemplatus fuißet, ad quem, vel ipſis ſpretis ſyderibus totam ſe contulit, quocum terreno ſqualore fucato tota ſe compoſuit ſapientia in quo non fugitiuæ, ſed Herculeo vinctæ nexu doctis liberam liberalium artium

Scænam aperiunt Virtutes: cui vel certè Herculeus labor, Leonem non niſi in vitia lethalem, ac ira tumentem, & virtutum formidinem ſua fortitudine pellentem, in Inſignibus collocaſſe patebit. Quare, dum mea præla ſubiens hoc opuſculum, alta volutabam mente, ſub quibus auſpicÿs edere poſſem, Tù primus occurriſti. Tibi igitur hanc Duplicem Tractationem dicare volui; Et cui plus debeam, & cui melius conſecrare poſſim. Excipe iccircò, Reuerendiſſime Domine, minimum quidem re, voluntate tamen non minimum meæ in te obſeruantiæ; ÿſq; oculis, & eo vultu, quo te intuentium animos rapis, benignus aſpice. Mut. die 12. Martÿ 1663.

Dominationis tuæ Perilluſtr. ac Reuerendiſſimæ

Addictiſſimus Seruus
Bartholomæus Sulianus Impreſſor Ducalis.

Si

Si ſub Leonis cuſtodia Manfredini
Exeuntes Bordonæ virtutis exitus,
Iura Iuribus addendo,
Impreſsorem cernis expreſſiſse,
Nè timeas Lector;
Leo enim eſt,
Non rugiens, ſed regens,
Non quærens quē deuoret, ſed quē decoret:
Quinimò,
Crudelis fouet, iratus fauet, humilis ferit;
Hunc demum,
Si tranſactis vixiſset ſæculis,
Non Alcides, vt in Profanis,
Non Sanſon, vt in Sacris,
Modis eius confuſi, & actibus impediti,
Necare potuiſſent.

IOANNES ANDREAS MANFREDINVS I.V.D.

Anagramma.

VIDENS ERIS, IVRANS DAMNA NEFANDO.

Epigramma.

Iudicium dantes dicit ſcriptura Videntes,
Sicq; Prophetantes, naq; futura Vident.
Sacras tu gerens Lãces, tu Damna Nefando
Iurans, Ioannes, tuq; Eris ipſe Videns.

Anagramma Arithmeticum.

4 195 191 355 113
D IOANNES ANDREAS MANFREDINVS I.V.D.

858

20 159 221 43 227
HIC RECTA IVDICATE FILII HOMINVM.

131 57
PSA. 17.
858

AD

AD LIBRVM EPIGRAMMA

ALLVDITVR AD STEMMA.

I, Liber, atq; libens propera te offerre Ioãni
Andreæ; nam cui gratior eſſe potes?
Mole ſub exigua Doctrinæ pondus amabit,
Et te, qui nullum reſpuit, excipiet:
Nec Baſiliſcorum timeas, faciemq; Leonis,
Sæuitiam à Domino dedidicere ſuam.
Si ſunt Stemma Viri, fient tutamina libri,
Vt Momos animo liberiore fuget.

DVPLEX TRACTATIO,

IN VNA

DE PRIMA TONSVRA,

non ordine, conferibili irregulari, ſine præuia diſpenſatione in ordine ad Beneficium non Sacerdotale.

Addita Reſolutione, in qua parte capitis vngendus ſit baptizandus à Parocho.

IN ALTERA

FORMVLARIO CRIMINALI

accommodatum Iudicibus Regularibus, qui non tenentur ad Apices Iuris (de quibus, in eius calce.)

Per Reueren. P. M. F. Franciſcum Bordonum Parmenſem Religionis Tertij Ordinis S. Franciſci publicę luci exhibita.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

MVTINÆ MDCLXIII.
Typis Bartholomæi Suliani Impreſſ. Ducalis.
Superiorum permiſſu.

Perilluſtri, & Reuerendiſſimo

D.D. IO. ANDREÆ
MANFREDINO I.V.D.

Nob. Mut. Dignitate Cantoriæ in Eccleſia Cathedrali fulgenti, & Epiſcopatus eiuſdem Ciuitatis Vicario Generali.

S Iuè terris abdita ſapientia, vnicus mortalium theſauris, otioſis imperuius, materno foueatur ſinu; ſiuè Cęlis inſitam, nimijs ſplendoribus obſcuram, Cęlites ſuum decus cæcutientibus inuideant, vt illam aut hinc extraheret, aut indè reuocaret, Reuerendiſſimo P. M. Bordoni ſudatum eſt. Compendioſius feciſſet, ſi te vnum breui tempore contemplatus fuiſſet, ad quem, vel ipſis ſpretis ſyderibus totam ſe contulit, quocum terreno ſqualore fucato tota ſe compoſuit ſapientia in quo non fugitiuæ, ſed Herculeo vinctæ nexu doctis liberam liberalium artium

§ 2 *Scæ-*

Scænam aperiunt Virtutes: cui vel certè Herculeus labor, Leonem non niſi in vitia lethalem, ac ira tumentem, & virtutum formidinem ſua fortitudine pellentem, in Inſignibus collocaſſe patebit. Quare, dum mea præla ſubiens hoc opuſculum, alta volutabam mente, ſub quibus auſpicijs edere poſſem, Tù primus occurriſti. Tibi igitur hanc Duplicem Tractationem dicare volui; Et cui plus debeam, & cui meliùs conſecrare poſſim. Excipe iccircò, Reuerendiſſime Domine, minimum quidem re; voluntate tamen non minimum meæ in te obſeruantiæ; iiſq; oculis, & eo vultu, quo te intuentium animos rapis, benignus aſpice. Mut. die 12. Martij 1663.

Dominationis tuæ Perilluſtr. ac Reuerendiſſimæ

Addictiſſimus Seruus
Bartholomæus Sulianus Impreſſor Ducalis.

Si ſub Leonis cuſtodia Manfredini
Exeuntes Bordonæ virtutis exitus,
Iura Iuribus addendo,
Impreſsorem cernis expreſſiſse,
Nè timeas Lector;
Leo enim eſt,
Non rugiens, ſed regens,
Non quærens quẽ deuoret, ſed quẽ decoret:
Quinimò,
Crudelis fouet, iratus fauet, humilis ferit;
Hunc demum,
Si tranſactis vixiſset ſæculis,
Non Alcides, vt in Profanis,
Non Sanſon, vt in Sacris,
Modis eius confuſi, & actibus impediti,
Necare potuiſſent.

IOAN-

IOANNES ANDREAS MANFREDINVS I.V.D.

Anagramma.

VIDENS ERIS, IVRANS DAMNA NEFANDO.

Epigramma.

Iudicium dantes dicit ſcriptura Videntes,
Sicq; Prophetantes, nāq; futura Vident.
Sacras tu gerens Lāces, tu Damna Nefando
Iurans, Ioannes, tuq; Eris ipſe Videns.

Anagramma Arithmeticum.

4 195 191 355 113
D. IOANNES ANDREAS MANFREDINVS I.V.D.

858

20 159 221 43 227
HIC RECTA IVDICATE FILII HOMINVM.

131 57
PSA. 17.
858

AD

AD LIBRVM EPIGRAMMA

ALLVDITVR AD STEMMA.

I, Liber, atq; libens propera te offerre Ioãni
Andreæ; nam cui gratior eſſe potes?
Mole ſub exigua Doctrinæ pondus amabit,
Et te, qui nullum reſpuit, excipiet:
Nec Baſiliſcorum timeas, faciemq; Leonis,
Sæuitiam à Domino dedidicere ſuam.
Si ſunt Stemma Viri, fient tutamina libri,
Vt Momos animo liberiore fuget.

SVM-

SVMMARIVM.

1 CAſus proponitur de Claudo aſpirante ad Beneficium.

2 Non eget diſpenſatione ad tonſuram, & beneficium cum ſola obligatione recitandi Horas Canonicas tantum.

3 Irregularitas impedit ſuſceptionem ordinum, & eorum executionem.

4 Bartola Auctor huius opinionis cum ſectatoribus.

5 Ordines eſſe tantum ſeptem ex diuerſis Pontificibus, & Concilijs vſque ad num. 11.

12 Theologi fere omnes cum multis Canoniſtis, negant primam Tonſuram eſſe Ordinem.

13 Quia competentia Ordini non applicantur Tonſuræ.

14 Tonſura non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale.

15 Res eſt magni momenti contra Caramuelem.

16 Omnes Ordiues ſunt ſacramenta.

17 Indefinita etiam in moralibus æquiualet vniuerſali.

18 Tonſura inſtituta ab Eccleſia, non à Chriſto 57.

19 Tonſura duplex prima ab Epiſcopo, ſecunda à Barbitonſore.

20 Tonſuratus nullam recipit poteſtatem 23. 84.

21 Caracterem non producit.

22 Gratiam non confert ſicut ſacramenta.

23 Tonſuratus nullam recipit poteſtatem, ſicut ordinatus, qui dicitur miniſter.

24 *Ordinatur quilibet tactu inſtrumenti, non tonſuratus, cui nihil porrigitur, ſed aufertur.*
25 *Ordinem nemo recipit niſi ſit Clericus, tonſuram vero laicus.*
26 *Recipiens ordinem peccat reus peccati mortalis, non tonſuratus.*
27 *Tonſura datur omni tempore, & omni loco, non ordo,*
28 *Iſidorus nouem gradus ordinum ponit.*
29 *Iſidorus S. Epiſcopus Hiſpalenſis, non legislator.*
30 *Pſalmiſtatus non eſt prima tonſura, confertur à Sacerdote.*
31 *Tonſura, vocabulum antiquiſſimum duplex, prima, & ſecunda.*
32 *Cap. Cum contingat explicatur, etiam 80.*
33 *Forma diſpoſitiua non eſt eiuſdem generis eius, ad quam diſponit.*
34 *Tonſura confert caracterem ſecundum quoſdam.*
35 *Tonſura non imprimit caracterem.*
36 *Quomodo ab Epiſcopo conferatur.*
37 *Tonſura quomodo differat à caractere ſacramentali.*
38 *Tonſura caracter non eſt, ſed ſimplex ſignum diſtinctiuum.*
39 *Probatur non eſſe caracterem.*
40 *Clericatus videtur eſſe caracter.*
41 *Nullum enim habet contrarium, & eſt indelebilis.*
42 *Reſuſcitatur ſacerdos cum caractere ordinis, & Clericatu.*

Cleri-

43 *Clèricatus probatur non eſſe caracter.*
44 *Is enim eſt operatiuus, non ille.*
45 *Clericatus habet ſimilitudinem cum caractere.*
46 *Conſecratus non poteſt reconſecrari.*
47 *Meum quod eſt amplius meum fieri non poteſt.*
48 *Sixtus V. & Vrbanus VIII. quod tonſura eſt caracter Clericalis, non ſacramentalis.*
49 *Rota Romana ſupponit tonſuram eſſe ordinem.*
50 *Quia quæſtiones ſcholaſticas non decidit, ſed cauſas negotiorum.*
51 *Clericatus nullo modo auelli poteſt à tonſurato.*
52 *Tonſura valide à quolibet Epiſcopo recipitur, ſed tunc non facit capacem beneficij.*
53 *Caracterem ſacramentalem non imprimit.*
54 *Tonſura quid ſit late deſcribitur.*
55 *Res ſenſibilis.*
56 *Sacramentalis.*
57 *Signum rei ſacræ non practicum, ſed ſegregatiuum a ſtatu laicali.*
58 *Tonſura ab Epiſcopo confertur etiam degradato.*
59 *Tonſuræ primus effectus indelebilis à tonſurato eſt Clericatus.*
60 *Degradatus Sacerdos adhuc retinet Clericatum, & caracterem.*
61 *Tonſuræ ſecundus effectus perdibilis priuilegium fori, & Canonis.*
62 *Tonſuræ tertius effectus perdibilis eſt capacitas ad quatuor.*
63 *Quorum primum eſt capacitas ad ordines.*
64 *Forma non introducitur in ſubiectum niſi prius diſpo-*

diſpoſitum.

65 Hoſtiarius non tonſuratus adhuc fit clericus.

66 Secundum eſt capacitas ad iuriſdictionem ec- cleſiaſticam.

67 Iuriſdictio eccleſiàſtica fundatur in prima tonſu- ra.

68 Tertium eſt capacitas ad beneficia eccleſiaſtica.

69 Quartum ad penſiones ex titulo eccleſiaſtico.

70 Penſionarius tenetur ad officium paruum B.M.V.

71 Tonſura eſt magis diſpoſitio ad hæc tria, quam ad ordines.

72 Tonſuratus pro beneficio cum animo non aſcen- dendi non peccat.

73 Tonſura in materia odioſa non venit ſub nomine Ordinis.

74 Tonſura improprijſſime ordo, quia vix illi aſſi- milatur.

75 Pœnæ contra recipientes ordines non afficiunt tonſuratos.

76 Diſpoſitio, quam dicit tonſura, non eſt illi con- naturalis, ſed ſuppoſititia.

77 Irregularis non poteſt promoueri ad primam ton- ſuram, communiſſima opinio, oppoſita valde pro- babilis.

78 Paſqualigi argumenta de irregularibus non ton- ſurandis.

79 Tonſura dicitur ordo lato modo ſecundum Ca- noniſtas.

80 Sacri Canones nullibi tonſuram vocant ſimpli- citer Ordinem,

81 *Lex pœnalis extenditur ex identitate rationis.*
82 *Lex de irregularitate pœnalis eſt.*
83 *Odium in legibus reſpicit ſubditos.*
84 *Tonſuratus nullum miniſterium habet in eccleſia 20. 23. 91.*
85 *Bigamia excludit ab ordinibus, non à tonſura;*
86 *Praxis legem interpretatur.*
87 *De tonſura nulla lex datur quod poſſit recipi, vel non recipi ab irregulari.*
88 *Prima tõſura in iure diſtinguitur à quouis ordine.*
89 *Prohibito vno probibentur ea omnia, per quæ ad illud peruenitur.*
90 *Explicatur hoc axioma.*
91 *Irregularis cur arcetur ab ordinibus non à tonſnra? 20. 23. 84.*
92 *Subiectum capax diſpoſitionum, etiam formæ, ad quam diſponitur.*
93 *Irregularis efficaciter impeditur à beneficijs ſecundum opinionem aliorum.*
94 *Tonſuratus licet irregularis capax beneficij non obligantis ad ordines.*
95 *Irregulari collatio facta beneficij nullo iure eſt irrita.*
96 *Irregularis non impeditur profiteri.*
97 *Vitiatus corpore capax beneficij obligantis ſolum ad Horas Canonicas.*
98 *Collatio beneficij cuilibet irregulari non eſt irrita.*
99 *Epiſcopus poteſt beneficiare irregularem ſi vult.*
100 *Beneficium datur propter officium, vel Horarum, vel Ordinum.*

In qua parte Capitis vngendus ſit Sacro Chriſmate Baptizatus.

101 *S. Silueſter de vngendo baptizato in ſummo vertice.*
102 *Venerabilis Beda cum Alcuino ordinis S. Benedicti.*
103 *Vertex, & ſummitas capitis eſt pars ſuperior piloſa.*
104 *Ea pars vngenda eſt à Parocho.*
105 *Epiſcopus ſignat in fronte, Parochus in ſummitate capitis.*
106 *Ratio ibi redditur.*
107 *Innocentius III. ita mandat vngi baptizatum in ſummitate capitis.*
108 *In vertice reſidet cerebrum, vbi eſt Sedes ſapientiæ.*
109 *Male nonnulli vngunt baptizatum in fronte.*
110 *Secundum Toletum vngitur ſinciput.*
111 *Interpretatur quid ſenſerit per ſinciput.*
112 *Vſus vngendi in fronte non nititur legitima conſuetudine.*
113 *S. Silueſter non fuit inſtitutor huius vnctionis; ſed rememorator.*
114 *Vngere in vertice capitis nullum periculum.*
115 *Vnctio capitis non eſt de eſſentia baptiſmi.*

An corpore vitiatus ſine diſpenſatione poſſit recipere primam Tonſuram, & Beneficium.

1 QVidam laicus claudus deſiderat præſentari ad Beneficium patronale domus ſuæ, ſed quia ex claudicatione eſt irregularis, quæritur, an egeat diſpenſatione tam ad recipiẽdam primam tonſuram, quam ipſum beneficiũ.

2 Reſpondeo, hũc non egere diſpenſatione neq; in receptione primæ tonſuræ, neq; in ſuſceptione beneficij, quod non ſit ſacerdotale habens adiunctum perſonale miniſterium celebrandi per ſe ipſum tantum, & non per alios, in quo caſu Epiſcopus poteſt illi conferre primam tonſuram, & ſubſequenter beneficium huius generis. Vtrumq; probatur, & in primis demonſtratur de prima tonſura efficaciſſimo argumẽto.

3 Irregularitas, in ſententia omnium, eſt Canonicum impedimentum impediens ſuſceptionem ordinum, & coexercitium; ſed prima tonſura non eſt ordo; ergo irregularitas non impedit ſuſceptionem primæ tonſuræ, ex quo non eſt ordo, ac proinde non eſt opus diſpenſatione in eius receptione. Maior ab omnibus conceditur, pro qua vide Burgaſium de irregul. *par.* 1. *q.* 1. refe-

rentem diuerſas definitiones irregularitatis ex pluribus Canoniſtis, qui in eo conueniunt, quod irregularitas impedit ſuſceptionem ordinum, & eorum exercitium, nulla facta mentione primæ tonſuræ, ergo contra eam non eſt irregularitas. Minor paulo poſt probatur. Hoc argumentum Diana reſol. 88. de irregul. vocat maximum, ſed non reſoluit.

4 Huius opinionis valde probabilis, & quæ ſine difficultate, & ſcrupulo ab Epiſcopis practicari poteſt, eſt auctor Aloyſius Bariola Mediolanenſis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, *apud Bonac. q. 1. de irregul. p. 1. num. 4. quem ſequuntur Thomas Hurtadus Cleric. Minor. tom. 2. Reſol. Moral. tract. 12 cap. 1. num. 514. quem citat, ſed non ſequitur Diana par. 11. tract. 5. reſol. 1. allegando etiam pro hac ſententia Eſcobar. in pract. confeſſ. par. 2. lib. 6 cap. 5. num. 31. quibus ego addo in terminis Caramuelem in ſua Theologia fundamentali correcta, & impreſſa Romæ, de qua in fine totius operis concl. 17. verſ. concluditur.*

Tota difficultas conſiſtit in minori, quæ eſt hæc: *Sed prima tonſura non eſt ordo.* Negata fere ab omnibus Canoniſtis, vt infra patebit.

Minor ergo probatur auctoritate non ſolum omnium Theologorum, qui cum Magiſtro Sententiarum in 4. diſt. 24. ita ſentiunt cum D. Thoma, & Scoto, numerantes tantum ſeptem Ordines vulgatos, inter quos prima tonſura non numeratur, verum etiam ſacrorum Canonum, dum

eam diſtinguunt ab ipſis ordinibus tantum ſeptem enunciatis, vt mox patebit.

5 Auctoritate Conciliorum probatur, & primo ex Concilio Cartaginenſi quarto ſub Siricio Papa circa annum 390. celebrato, in quo ordines tantum ſeptem numerantur, & ſingulis aſſignatur propria materia, tradenda ab Epiſcopo, & ſimiliter forma ab eodem proferenda, & de prima tonſura ne verbum quidem, ergo non eſt ordo. Ibi nominatur etiam Pſalmiſtatus, qui tamen non eſt ordo, ſed ſimplex officium quod datur à presbitero ſine ſcientia Epiſcopi, & dicitur Cantor, quem Gloſ. V. Primum cap. 1. dict. 77. inepte vocat primum ordinem arg. cap. Cum contingat, de ætatæ, de quo infra.

6 Secundo Caius Papa electus anno 285. & ſic multo tempore ante præfatum Concilium, ſcribens ad Felicem Epiſcopum, relatus cap. 1. diſt. cit. 77. enumerat ordines tantum ſeptem vulgatos, ergo tonſura excluditur ab ordine.

7 Tertio Silueſter Papa electus anno 314. in ſua Synodo cap. 7. relato in cap. A Subdiacono 5. diſt. 93. procedendo gradatim numerat tantum eoſdem ſeptem ſecundum eorum precedentiam tribuendo infimum locum Hoſtiariato ſupra Abbatem, qui tunc erat merus laicus, non clericus, qui nullum habebat ordinem, nulla facta mentione tonſurati; quod tamen fuiſſet neceſſarium, ſi eſſet ordo, quia & ipſe præceſſiſſet Abbatem, cum ergo illum prætermiſerit, ſignum

 eſt,

eſt, non eſſe ordinem.

8 Quarto Siricius, de quo ſupra, ſcribens ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem anno 385. enumerat eoſdem ordines, ſicut eius prædeceſſores, vt legi poteſt in eius Epiſt. num. 10. tom. 1 Concil.

9 Quinto Innocentius IV. in Bulla incip. Sub Catolicæ 14. de definitione quorundam articulorum circa ritus Græcorum facta anno 1254. decernit ſub §. 19. *Volumus, & expreſſe præcipimus, quod Epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucuſq; tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur.* Septem ſunt ergo excluditur prima tonſura, & cum Pontifex fuerit ſolicitus, præcipiendo, vt conferant etiam minores, & quidem omnes, qui ſunt quatuor, maioribus tribus exiſtentibus, mentionem etiam fuiſſet de prima tonſura, quia eius præceptum fuit, vt Græci conferrent omnes ſeptem ordines, ergo non curauit de tonſura, quia ordo non eſt.

10 Eugenius IV. in Concilio Florentino, in Bulla de Concordia Armenorum, incip. *Exultate Deo* 19. §. 15. deſignando materiam, & formam ordinum, decernit, vt ſeruetur quod in Pontificali continetur, in eo autem fit mentio de prædictis ſeptem ordinibus. Et licet antecedenter tradatur modus faciendi Clericum per primam tonſuram, ibi tamen non vocatur ordo, nec eſt,

quia

quia verba huius formæ: *Dominus pars hereditatis mea, &c.* dicuntur tantum ab eo, qui tonſuratur, non ab Epiſcopo, non ſolum, quia ei non competunt, cum ipſe per illam tonſionem non fiat pars hereditatis Domini, cum iam ſit, ſed etiam, quia tonſura non eſt ordo, de cuius ratione eſt, vt conferatur ab Epiſcopo, qui ordinum eſt ordinarius miniſter, ex definitione eiuſdem Eugenij ibidem.

11 Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 2. diſtinguit ſeptem ordines à prima tonſura illis pręmitenda his verbis: *Cum in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent ordines miniſtrorum, qui ſacerdotio ex officio deſeruirent, ita diſtributi, vt qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent per minores ad maiores aſcenderent.* Tonſura ergo ordo non eſt dum ab illis ſegregata eſt, nec faciat miniſtrum, ſed tantum clericum, ex quo appellatur tonſura clericalis ab hoc effectu, quod laicũ à ſtatu laicali transfert ad ſtatutum clericalem, faciendo eum aptum, idoneum, & capacem recipiendi ordines, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, beneficia, & penſiones, cum ergo tonſuratus ad hæc ſe habeat paſſiue recipiendo, non agendo, non poteſt dici miniſter, nec ordinatus, dum nullam recipit poteſtatem.

Dices, prælibatas auctoritates non probare intentum, quia eſto, exprimant, eſſe ſeptem ordines, non tamen negant eſſe plures, cum non vtantur taxatiua, tantum, per quam excludantur quicun-

que alij gradus à ratione ordinis.

Reſpondetur, ex hac obiectione ſequi abſurdum, Summos Pontifices, & Concilia in tradenda doctrina de ordine fuiſſe diminutos, prætermittendo primam tonſuram ab eorum numeratione, quod dicendum non eſt, ergo nec ordo eſt, vnde pro tali ab eis vſq; modo habita fuit. Quare non fuit neceſſaria taxatiua *tantum*, quia certus numerus eam includit.

12 Auctoritate quoque Theologorum probatur cum Magiſtro in 4. diſt. 24. mentionem tantum facit de ſeptem illis, & in hoc omnes conueniunt, vno excepto Maiore, & hanc vocant veriorem opinionem, & probabiliſſimam, *cum Caſtropal. par. 2. de ordine num. 4. Auerſa q. 1. de ordine ſect. 5. quos magno numero refert Barboſa ad cap. 2. ſeſſ.* 25. Quam veritatem nonnulli Canoniſtæ conſiderantes, ac agnoſcentes comprobarunt cum *Couar. quæſt. pract. cap. 31. num. 6. Auend. lib. 29. Tauri Gloſ. 3. num. 10. Ant. Cuchus lib. 5. tit. 8. de ord. Altentaiſg V. Tonſura, Surd. lib. 2. conſ. 259. Petrus Tholoſ. in cap. 1. de teſtib. num. 8. Menoch lib. 10. conſ. 612. num. 21. Vinc. de Frãch. deciſ. 189. num. 9 Thomas Valaſchius tom 1. Alleg. 3. num. 8. Alphonſ. de Caſtelbr. Epiſcopus Conimbr. tit. 8. conſt. 2. & alij, quos pro ſe citat Quintanad. tract. 6 ſing. 4. ad ſacram. ord. num. 5.* Et cum iſtis ſtandum eſt, quorum argumenta ſunt inſolubilia.

13 Ratione demum probatur, quod tonſura nullo modo

modo eſt ordo, quia quæ competunt ordini vt ſic, & omni ordini in ſpecie ſub genere ordinis, nullo modo competunt primæ tonſuræ, ergo hæc nullo pacto eſt ordo Quod probatur, quia ordo vt ſic eſt ſacramentum, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato in ordine ad miniſterium altaris, cuius effectus ſunt caracter, & gratia, vnde ordinatus non tantum ſe habet paſſiue in recipiendo poteſtatem, caracterem, & gratiam, ſed etiam actiue miniſtrando in Eccleſia, quilibet enim ordinatus in illis ſeptem dicitur miniſter cum poteſtate exercendi proprium ſibi deſtinatum officium. In ſingulis per Epiſcopum ordinando traditur proprium inſtrumentum indicans officium, quod ordinatus facere debet; recepturus quemuis ex ordinibus debet eſſe Clericus iam factus per tonſuram, vt ſit idoneus ad recipiendos ordines, qui conferuntur Clericis, non laicis, recipiens in peccato mortali ordines peccat mortaliter dum grauem facit iniuriam irreuerentiæ ſacramento, ponendo obicem gratiæ ne per ſacramentum oblatæ conferatur; ordo ſtatutis temporibus, & diebus confertur cum Miſſa. Nihil autem prædictorum reperitur in prima tonſura; ergo non poteſt eſſe ordo.

14 Minor probatur, primo, quia ipſa non eſt ſacramentum, nam licet ſit ſignum rei ſacræ, non tamen cauſatiuum gratiæ ex opere operato, vnde Caramuel vocat eam ſacramentale in fine ſui operis Theologiæ fundamētalis correctæ Romæ

concl. 14. & 15. vbi eam nimis deprimit dicendo eam non eſſe rem ſacramentalem magni momenti, ſed eſſe extrinſecam rem ſacramentalem minorem aqua benedicta, quia hæc eſt intrinſece res ſacramentalis, illa tonſura extrinſece, quia remotiſſime eſt diſpoſitio ad ſacramentum, hoc eſt, ad ſacerdotium, dum eſt proxima diſpoſitio ad minores, qui probabiliter ſecundum ipſum non ſunt ſacramenta.

15 Dicta hæc diſplicent, quia prima tonſura, licet nullo modo per me ſit ordo, tamen tale eſt ſacramentale, quod magni eſt æſtimandum, dum per ipſam conſtituitur tonſuratus in gradu, & ſtatu valde honorifico, qui eſt clericatus longe dignior ſtatu laicali, vt notum eſt, & Suar. diſp. 40. de cenſ. ſect. 2. num. 2. tonſuram vocat rem grauem, cum ſit diſpoſitio ad ordines, & conſtituat laicum clericum, vnde eius ratio fuit, quia proxime diſponit ad ſacramentum, dum diſponit ad ordines minores, quæ ſunt ſacramenta, vt ibidem Suarez docet, tenet *Auerſa q. 1. de ordine ſect. 5. Gabriel à S. Vincentio Carmelita Excalceatus diſp 1. de ordine q 6. num* 27. eſt cõ-
16 munis, & puto de fide, vt colligo ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. vbi ſacramenta nouæ legis definiuntur ſeptem, & illa eſſe vere, & proprie ſacramenta, inter quæ exprimitur ordo, qui ſeſſ. 23. Can. 3. definitur eſſe vere, & proprie ſacramentum, quod hac ratione patet, nam de fide eſt; vt dicit Tridentinum, quod ordo eſt ſacra-

men-

mentum, ergo omnis ordo eſt ſacramentum, nam
17 indefinita in materia neceſſaria etiam in moralibus æquiualet vniuerſali, conſequenter etiam ordines minores ſunt ſacramentum; vnde patet ad rationem Caramuelis, tonſuram eſſe diſpoſitionem ad ſacramentum ordinis, & proxime ad Hoſtiariatum. Nec diſſentit ipſe Caramuel vir acutiſſimi ingenij ab hac doctrina de propoſitione indefinita, quam æquipollere vniuerſali in materia etiam morali de fide docet in eodem opere ſub num. 1328. 1360. Patet ergo ex his primam tonſuram non eſſe ſacramentum, ac proinde nec ordinem, cum omnis ordo ſit ſacramentum à Domino inſtitutum.

18 Prima autem tonſura à Chriſto Domino non reperitur inſtituta, nullus enim hactenus hoc dixit, nec habetur ex Sacra Scriptura, nec ex traditione Patrum, non eſt ergo ordo, cum omnis ordo à Domino inſtitutus fuerit, vt eſt de fide definitum ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ 23. can. 3. Inſtitutio ergo illius procedit ab eccleſia, vt docet Iſidorus in Concilio Aquiſgranenſi cap. 1. his verbis: *Tonſuræ eccleſiaſticæ vſus, à Nazareis, ni fallor, exortus eſt, qui prius crine ſeruato, denuo poſt vitæ magnam continentiam deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicet, vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur,*

quaſi Nazarei 1. *Sancti Dei crine præciſo innotentur*. Ex Caramuele Diſput.13. in Reg. S.Benedicti num.160.& antecedéter à num.152.multa dicit de raſione capitis. Et infra diſput 30. num. 328.ex Dionifio de cæleſti hierarchi cap.6. refert eius verba: *Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet, omniq; veſte detracta eum alia induit*. Anicetus ad Epiſcopos Galliæ inquit: *Iuxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphera radant*. Sed difficultas eſt, de quanam tonſura ſermo ſit?

19 Duplex enim eſt, vna dicitur prima tonſura, de qua loquimur, quam dat Epiſcopus laicum faciendo clericum, conſecratur enim, & dedicatur Deo, & de hac loquuntur Dioniſius, & Iſidorus, Anicetus vero tantum de ſecunda, ſicut & Caramuel, eſt autem ſecunda tonſura illa raſio, quæ ſit à barbitonſore in capite clerici iam Deo dedicati per primam tonſuram ſic dictam, quia ſubſequentem antecedit nuncupatam coronam. Prior ergo à ſolo Epiſcopo datur vocato à S.Dioniſio nomine ſacerdotis, qui tonſuratum alia veſte induit in quit Sanctus, quæ ſcilicet eſt Cotta, & ſuperpelliceum, vt inquit Pontificale.

20 Secundo in quolibet ordine traditur poteſtas ad aliquod ſpirituale munus agendum, in collatione primæ tonſuræ nihil traditur, vt patet, ſed per eam tonſuratus de laico fit clericus idoneus ad recipiendos ordines, qui non à laicis, ſed tantum à clericis recipiuntur, certum autem eſt,

eſt, quod forma diſpoſitiua non eſt illa forma, ad quam recipiendum ſubiectum diſponitur, aliter idem diſponeretur ad ſeipſum, & non ad aliud.

21 Tertio, caracter, vt dixi, eſt effectus ordinis vt ſic, & cuiuslibet ordinis; ſed prima tonſura nullum producit caracterem in tonſurato, quia nullum eſt ex illis tribus ſacramentis, quæ producunt caracterem, ſecundum definitionem fidei in Trident. *Seſſ. 7. can. 9. & ſeſſ. 23. can. 4.* quod ordo imprimat caracterem, ergo deficit à ratione caracteris Gabriel. *diſp. 1. de ordine q. 3. num. 14. Auerſ. q. 1. de ordine ſect. 5. in fine*, & cæteri omnes.

22 Quarto, quilibet ordo confert gratiam, quod non facit prima tonſura, dum non eſt ſacramentum ex dictis, ſola enim ſacramenta conferunt gratiam ex vi operis operati ex inſtitutione Chriſti, Chriſtus autem primam tonſuram non inſtituit, ſed ab eccleſia inuenta fuit, ad diſtinguendum clericos à laicis, *Gabriel. ſupra citatus q. 3. num. 16. Auerſa q. 1. ſect. 5. verſ. Fatendum.*

23 Quinto, ordinatus in quouis ordine paſſiue ſe habet in recipiendo poteſtatem, caracterem, & gratiam; & etiam actiue, dum per poteſtatem acceptam exercet actum ſuo ordini conuenientem ex quo vocatur miniſter eccleſiæ, vt dixi, in argumento; ſed tonſuratus tantum ſe habet paſſiue recipiendo clericatum, quo ſegregatur à ſtatu laicali, & nullo modo actiue, dum in rece-

ceptione primæ tonſuræ nullam recipit poteſtatem, per quam poſſit operari, ergo ſe habet tantum paſſiue, ac proinde non dicitur miniſter eccleſiæ, cuius eſt operari eccleſiaſtice ex vi ordinis, non eſt ergo ordo, cum nihil eorum conferat ad agendum.

24 Sexto, in collatione cuiuslibet ordinis Epiſcopus tradit clerico aliquod ſpeciale inſtrumentum ſignificans eius officium, & munus, quod agere debet, & vocatur eius materia remota facta proxima per traditionem; ſed nihil horum fieri contingit in datione tonſuræ, immo tantum abeſt, vt aliquid ei detur, quin potius ab eo auferuntur capilli. Quod ſi cotta ab Epiſcopo induatur, id non eſt materia, ſed ſignum extrinſecum quo exterius demonſtratur, tonſuratum eſſe factum clericum, & amplius non eſſe de foro, & ſtatu laicali. Et illa verba; *Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Ab Epiſcopo cerimonialia ſunt, non forma, ſunt deprecatoria ad Deum, qui operatur, non imperatiue per verbum *Accipe*, vt exprimuntur ordines tum maiorum, tum minorum formæ. Immo illis verbis: *Induat te Dominus, &c.* vtuntur ſuperiores regulares, dum habitum nouitiorum tradunt ingredientibus, quæ non poſſent adhibere, ſi eſſet vere forma tonſuræ, quæ traditur ab Epiſcopo.

25 Septimo, de ratione cuiuslibet ordinis eſt; vt nemo accedat ad illorum receptionem, niſi prius

ſit

ſit clericus per primam tonſuram, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 23. cap 2. & Pontificali, ſed id prima tonſura non exigit, cum per eam homo de laico fiat clericus, non eſt ergo ordo, qui non niſi clericis confertur.

26 Octauò, reus peccati mortalis recipiens quem cumq; ex ordinibus etiam Hoſtiariatum peccat mortaliter, vt dixi; ſed recipiens primam tonſuram ita non peccat, cum receptio ſacramentalium ab iſtis non inducat aliquod peccatum, nec ponatur obex gratiæ, quam non confert prima tonſura. Nec his obſtat Suarez diſp. 40. de cenſ. ſect. 2. num. 2. aſſerens irregularem accipiendo primam tonſuram peccare mortaliter, propter irreuerentiam erga rem magni momenti, quia transgreditur in re graui ſacros Canones prohibentes irregulares à receptione tonſuræ, ſuper qua re nunc diſputamus.

27 Nono demum, ordines ſtatutis temporibus, & certis diebus dandi, & conferendi ſunt, vt patet ex ſacris Canonibus, & ex Ceremoniali, quod dicit, primam tonſuram dari ſemper poſſe his verbis: *Clericatus, ſeu prima tonſura quocunque die, hora, & loco conferri poteſt. Minores vero ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & Feſtiuis diebus, vbicunque, in mane tamen.* Ergo clericatus nihil participat de ordine, conſequenter qui appellat eam ordinem æquiuocat, atq; omnino errat.

Et ex his ſatis abunde manet probata minor propoſi-

poſitio *Prima tonſura non eſt ordo*, ac proinde concluſio, ergo irregularitas non impedit ſuſceptionem primæ tonſuræ, ex quo non eſt ordo, cuius ſolum irregularitas impedit ſuſceptionem.

Sed quoniam Aduerſarij conantur probare, primam tonſuram eſſe ordinem, ac proinde irregularem illam ſine diſpenſatione recipere non poſſe, ideo referenda ſunt eorum argumenta, vt ponderemus eorum efficaciam, & vim, ſi quam habent. Referemus autem primo Sacros Canones, & Bullas Pontificias de hac re, deinde rationes perſuadentes primam tonſuram eſſe ordinem.

28 Primo loco in teſtem producunt Iſidorum relatum in cap. Cleros 1. diſt. 21. his verbis: *Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in eccleſia Chriſti deſeruiunt, quorum gradus, & nomina ſunt Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbiter, & Epiſcopus*. Deinde cap. Cum contingat 11. de ætate in 6. extremis verbis: *Per primam tonſuram iuxta formam eccleſiæ datam à talibus clericalis ordo confertur*. Aliud fundamentum aſſerendi, primam tonſuram eſſe ordinem non potui inuenire, & ſuper auctoritate Iſidori fundatur *Gloſ. 5. Pſalmiſta dicti cap. Cleros diſt. 21. quod etiã citat Gloſ. V. Epiſcopus in Proæm. 6. & Glos. cap. Pſalmiſta 20 diſt. 23.* vbi vocat primum ordinem, adeo quod volunt, Iſidorum nomine Pſalmiſtæ intellexiſſe quod nos, & illi appellant

pri-

primam tonſuram.

29 Contra eſt primo, quia Iſidorus licet ſanctus, & Epiſcopus Hiſpalenſis, qui præfuit Concilio Toletano quarto anno 633. à cuius Patribus habuit in mandatis ordinandi officia eccleſiaſtica, vt inquit Baronius ad hunc annum, non tamen fuit legislator, nec auctor numeri ordinum, cum Summi Pontifices multo tempore ante numerum ſeptennarium decreuerint, & officia clericorum fuerint diſtributa in Concilio Cartaginenſi celebrato circa annum 390. vt ſupra dixi, & licet tam Concilium hoc, quam Iſido-

30 rus faciant mentionem de Pſalmiſtatu, ille tamen non eſt prima tonſura, vt inepte volunt ſupradictæ Gloſ. nam, vt dictum fuit ſupra, prima tonſura ſe habet tantum paſſiue in tonſurato, cui tribuit tantum clericatum, & nullum officium exercendi in eccleſia, ſicut poteſt Pſalmiſta, cuius officium eſt cantare reſponſoria, & laudes, ex Iſidoro, & Concilio Cartaginenſi relato cap. Pſalmiſta 20. diſt. 23. his verbis: *Pſalmiſta i. Cantor poteſt abſq; licentia Epiſcopi, ſola iuſſione presbiteri officium ſuſcipere Cantoris*. Non eſt ergo ordo nec proprie, nec improprie, dum confertur à ſimplici ſacerdote, ordo autem à ſolo Epiſcopo. Præterea Iſidorus dicit ſe numerare diuerſitatem clericorum, qui ſeruiunt in eccleſia non autem ſtabilire numerum ordinum, cum iam eſſet ſtabilitus, & definitus à multis Pontificibus.

31 Neſcio deinde, qua ratione ex Pſalmiſtatu traxerint primam tonſuram, cum hoc vocabulum ſit antiquiſſimum ex verbo tonſionis, vt notaui ſupra ex D. Dionifio, & Aniceto Papa immo ex ipſo Iſidoro, ſub num. 18. Nec gloſ. id colligere poteſt ex cap. Duo 12. q. 1. quia ibi ſolum ſit mentio de corona capitis dicta tonſura, ſeu clerica; quæ fit à barbitonſore in parte ſuperiori capitis, prima vero tonſura in parte inferiori, vt dicitur in caſu cap. 1. de cler. coniug. in 6. diſtinguuntur ergo illæ duæ tonſuræ, cap. Ionnes 7. cap. Ex parte 9. & cap. fin. de cler. coniugat. Patet ergo ex his aliud eſſe Pſalmiſtatum, aliud primam tonſuram, de hac locutus non fuit Iſidorus in loco citato, ergo Gloſ. inique, & inepte deducunt illam ex eo textu, in quo ne verbum quidem, immo aliud ineptius ſequitur, quod decem ſunt ordines, ex quo tonſura aliud eſt à Pſalmiſtatu, vt vere eſt, & notat *Barboſa lib. 1. de iure eccl. cap. 38. num. 35. & omnes* cum Pontificali.

32 Ad cap. Cũ cõtingat, dico ea verba *Clericalis ordo* non importare ordinem vt ſacramẽtum, ſeu vt dicit miniſterium in eccleſia exercendum, ſed dicere quendam gradum, in quem aſcendit tonſuratus ſupra laicos, vti in cap. Cum ex iniuncto 13. de hæret. gradus doctor, dicitur præcipuus ordo in eccleſia Dei relatiue ad alios; & Gloſ. V. ordinum l. 1. prope finẽ ff. de ventre inſpic. accipitur pro diſpoſitione decurionum, &c. Sumitur

tur ergo late, & ample, vt interpretantur *Gabriel. Carmel. excalc. q. 1. de ordine num. 14 fine, Auerſa q. 1 ſect. 5 §, Ex his, ordo 1.* ſtatus, & reuera ita eſt, quia prima tonſura conſtituit tonſuratum in ſtatu Clericali, & Papa ibi nihil aliud vult intelligere. Sed ſi verba textus altius ſpeculemur nihil prorſus pro Aduerſarijs colligitur, nam verba, quæ ſunt hæc: *Per primam tonſuram, iuxta formam eccleſiæ datam à talibus clericalis ordo confertur*. Nihil aliud ſignificant, niſi quod exprimunt, per primam ſcilicet tonſuram conferri ordinem clericalem, ergo ipſa conferens non eſt res collata, quia nihil ſeipſum confert, ſed aliud à ſe, ergo etiamſi concederemus, ipſam conferre ordinem, non inde infertur, quod ipſa ſit ordo, ſi aliud à ſe confert, & non ſeipſam. Dicas ergo quod Epiſcopus conferendo non ordinem, ſed primam tonſuram, facit tonſuratum clericum, tranferendo eum ab ordine, hoc eſt, ſtatu laicali ad ordinem. i. ſtatum clericalem, qui non ordo, ſed initium, & principium ad ſuſcipiendos ordines, quorum ideo dicitur diſpo-
33 ſitio, neq; enim quicquam ſapiens dixit formam diſpoſitiuam eſſe de genere formæ, ad quam eſt diſpoſitio, ſiquidem calor v. g. & ſiccitas in ligno ſunt diſpoſitiones ad formam ignis, & tamen nunquam illæ dicuntur eſſe de genere formæ, ad quam diſponunt ſubiectum.

Secundo, quod prima tonſura ſit ordo aperte ſupponunt Sixtus V. in ſua Bulla 91. incip. *Sanctum & Sa-*

& Salutare; & Vrbanus VIII. in ſua 33. incip. *Secretis æternæ*, contra male promotos pænas infligentes, nam eam appellant *Caracterem Clericalem*; ea autem, quæ imprimunt caracterem ſunt baptiſmus, confirmatio, & ordo; prima tonſura non eſt baptiſmus, nec confirmatio, ergo erit ordo, ex quo confert caracterem. Confirmatur, quia tonſura vti ordo confert caracterem
34 ex multis Doctoribus, quos citat Barboſa ad dictum cap. Cum contingat, num. 6.

35 Reſpondetur, primam tonſuram neq; eſſe caracterem ſacramentalem, neq; illum imprimere in tonſurato, neq; Summos Pontifices allegatos, neq; alios vnquam dixiſſe, eam imprimere caracterem. *Primum* quod non ſit caracter ſacramentalis probatur euidenter ex definitione
36 ipſius tonſuræ, nam illa conſiſtit in tunſione capillorum in quatuor locis, in fronte, occipitio, & ad vtrãq; aurem, deinde in medio capitis tres crines tondet Epiſcopus, ex Pontificali; in hac ergo ſenſibili actione tranſitoria conſiſtit prima tonſura; ex quo patet, eam non eſſe caracterem alicuius ſacramenti, neque proinde ordinem, qui imprimat caracterem, quia caracter ſacramentalis non eſt actio, nec quid ſenſibile, nec
37 tranſiens, ſed permanens in anima ex doctrina ſanctorum Patrum, & Conciliorum, qui definiunt caracterem eſſe quandam qualitatem inſenſibilem in anima impreſſam ab ea indelebilẽ; ſed prima tonſura talis non eſt, non qualitas,

cum

cum in tonſione conſiſtat de genere actionis; non inſenſibilis, cum ſenſibus appareat licet ſpiritualis in ordine ad clericatum eius effectum; non imprimitur in anima, ſed in tonſione capillorum, qui detrahuntur à capite ſignificantes abiectionem, & deſtructionem ſtatus laicalis à tonſurato, caracter vero imprimitur in anima, cui, nec corpori aliquid detrahit, vt facit prima tonſura detrahendo de capillis, demum caracter permanet indelebiliter, tonſio vero tranſit & non manet. Dum ergo Summi Pontifices dicunt primam tonſuram eſſe caracterem clericalem non intendunt eſſe talem caracterem, qualis
38 reperitur in ordinatis, baptizatis, & confirmatis, ſed alium eſſe ab eo penitus diuerſum, nempe aliquod ſenſibile diſtinguens clericum à laico ſicut in Apocalipſi legitur cap 13. 16. quod habebat imaginem beſtiæ, & caracterem in dextera manu; & de S Franciſco dicitur, quod Chriſtus eum ſignauit caractere in manibus, latere, & pedibus, prima ergo tonſura appellatur à Pontificibus Romanis caracter non inſenſibilis, vt ille ſacramentorum, ſed ſenſibile ſignum diſtinguens clericum à laico.

39 Secundum, quod prima tonſura non imprimat caracterem probatur, quia caracter imprimitur ad eum finem, vt ordinatus Deo ſeruiat in officio, ad quod aſſumptus fuit per ordinationem, nam eſt caracter potentia actiua ad operandum in eccleſia; ſed per primam tonſuram clericus

nullam

nullam aquirit potentiam, nec officium ad operandum in eccleſia, vt notum eſt, ſed ſolum ſe paſſiue habet per eam tonſuratus factus idoneus, & aptus ad munera, & officia eccleſiaſtica recipienda, non vero exercenda, dum per tonſionem ea actu non recipit, ſed ſolum clericatum, à quo immediate, & formaliter recipit aptitudinem ad eccleſiaſtica munera.

40 Quod ſi dicat, clericatum eſſe hunc caracterem, quem prima tonſura imprimit, nam clericatus eſt quædam qualitas perpetuo manens indelebiliter in anima, ſicut caracter ſacramentorum, & ideo dicitur prima tonſura non reiterabilis, ſicut nec ordo reiteratur, ergo ex hoc capite erit ordo. Antecedens probatur, quia

41 clericatus nullum habet contrarium, ſicut nec caracter, per quod deſtrui poſſit, non mortem, quæ deſtruit ſolum ea, quæ ſunt corporis, non quæ pertinent ad animam ſicut clericatus, qui ideo dicitur in ea imprimi; non matrìmonium, quia coniugatus cum quacumq; non perdit clericatum, licet perdat eius priuilegia, etiamſi ſit conſtitutus in ordinibus maioribus, in quo caſu per clericatum adhuc remanentem perimitur attentatum matrimonium, licet non deſtruatur in ordinato in minoribus, cuius matrimonium valet, cum quo ſtare poteſt, & ſolum perdit priuilegia iuxta tit. de clericis coniugatis; nec aliud aſſignabile eſt, per quod ſit deſtruibilis, ergo perpetuo manet, ſicut caracter ſacramentorum.

Con-

42 Confirmatur, quia ſi ſacerdos defunctus e. g. reſurgeret, ſine vlla præuia ordinatione, nec tonſura, poſſet celebrare, quia adhuc retinet caracterem ſacerdotij, & reliquorum ordinum, & in hoc omnes conueniunt, vt teſtatur de Lugo Cardinalis diſp. 6. de ſacram. num. 69. vnde nec eſt iterum baptizandus, nec ordinandus, nec confirmandus, conſequenter nec tonſurandus, cum in eo adhuc vigeat clericatus, quod non poteſt negari, aliter ſacerdos reſuſcitatus eſſet tantum laicus, & ſic laicus diceretur celebrare, quod eſt abſurdum.

43 Reſpondeo, clericatum habere prædicta omnia, non tamen inde inferri, primam tonſuram, cuius eſt effectus, eſſe ordinem, & talem eius caracterem eſſe proprie ſacramentalem, tum quia ex caractere non magis infertur vna cauſa, quam alia, cum ſit communis effectus, qui à pluribus diuerſis cauſis procedere poteſt, vnde, cum ex eo non poſſit deueniri in cognitionem propriæ cauſæ ex ſua communitate, inferri non poteſt, primam tonſuram eſſe ordinem ex impreſſione clericatus ſub ratione caracteris. *Tum quia* caracter in ordine eſt operatiuus, vt dictum fuit, in prima tonſura nihil operatur clericatus, quia nullum ſibi aſſignatum officium habet, ſed ſolum clericum ſegregat à ſtatu laicali, & facit aptum ad recipiendum ordines, & alia eccleſiaſtica, non ergo eſt proprie caracter potens ad operandum ſicut in ordine. *Tum quia*

licet

licet aliqualem cum caractere habeat ſimilitu-
45 diuem, & anologiam, vt inſinuat de Lugo num.
22. Non tamen eſt caracter, quia ſimile, &
idem valde differunt; etiam conſecratio eccle-
ſiæ, calicis, &c. aſſimilatur caracteri ſacramen-
torum, quia imprimitur præfatis materijs non
ad tempus, ſed perpetuo, & indelebiliter, ita
quod reiterari non poteſt, vt natura negotij de
46 ſe hoc docet, fruſtra enim conſecratur, quod
iam conſecratum eſt, habet enim pro obiecto
conſecrabili, quod conſecratione caret, non
rem conſecratam, & pro hac re facit illud:
Quod meum eſt, amplius meum fieri non poteſt
ex l. Si rem meam 31. ff. de verb. obligat Gloſ. 5.
Quod meum, cap. Inter dilectos 6. de fide inſtr.
Conſecratio igitur quæ iam eſt Calicis, amplius
eius fieri non poteſt, aquiritur enim aliquid ali-
cui carenti illo. Quod ſi Calix frangatur, cum
non amplius ſit ipſe Calix, nec benedictio, ſeu
conſecratio, quæ illi, vt accidens inhærebat;
anima autem cum ſit immortalis, & indeſtrui-
bilis, pereunte corpore, conſeruatur cum cara-
ctere clericali, ſicut conſeruatur cum ſuo bapti-
zatus, confirmatus, & ordinatus, ideo non rei-
terantur hæc tria ſacramenta, dum in anima im-
primunt caracterem indeſtruibilem, ex quo non
deſtruitur anima, nec habet contrarium deſtru-
ctiuum, ſicut habet gratia, quæ per peccatum
ſibi contrarium deſtruitur.
48 Tertium, quod illi Pontifices non dixerint pri-

mam

mam tonſuram imprimere caracterem, ſatis aperte colligitur ex textu illarum Bullarum his verbis: *Ad ſuſcipiendum caracterem clericalem clericali caractere non legitime inſignitis, aut ordines minores, vel ſacros. Ad ordines minores, vel clericalem caracterem.* In quibus non dicitur primam tonſnram imprimere caracterem, ſed ipſam eſſe ipſummet caracterem, & quidem clericalem, non ſacramentalem. Male ergo Canoniſtæ ex illis deducunt primam tonſuram imprimere caracterem, ſi ipſa eſt caracter, cauſa enim non eſt effectus.

Tertio pro probatione, quod prima tonſura ſit ordo, referunt plures deciſiones Rotæ Romanæ, quæ eam appellant ordinem, vnde ita ſentiendum eſt, cum valde deferendum ſit tot ſapientiſſimis Patribus, qui rem deciderunt, deciſiones autem Rotæ referuntur à pleriſq; à Barboſa ad cap. 3. ſeſſ. 23. melius à Theodoſio Rubeo in ſuis ſingular. V. Ordines ſacri, vbi plures refert deciſiones fauore Canoniſtarum, vbi, quod caracter clericalis per primam tonſuram impreſſus nec per bigamiam tolli poteſt.

cum Auditores Rotæ in cauſis decidendis procedant ſecundum allegata, & probata, mirum non eſt, ſi ex ſuppoſitione, quod prima tonſura eſt ordo; decidant cauſas ſibi propoſitas, nihil tamen decidentes ſuper quæſtione, an prima tonſura ſit ordo, necne? quia nunquam terminis illis proponitur, cum illorum finis

prin-

principalis non ſit definire quæſtiones mere ſcholaſticas, ſed cauſas negotiorum.

51 Prima ergo tonſura ipſa caracter eſt non ſacramentalis, & ideo non eſt ordo, ſed clericalis, quia facit clericum ita conſtantem, vt nulla ratione à tonſurato auelli, & extrahi poſſit clericatus, à quocunq; Epiſcopo fuerit tonſuratus, etiam à non ſuo, collata enim tonſura, & per tonſuram clericatus omninò valida ſunt, nec à quoquam tolli poteſt clericatus, quia non habet contrarium, nec per matrimonium etiam bigami, *Butrius in cap. Ioannes, de Cler. coniug. num. 17. Imola num.* 18. *apud Theodoſium Rubeum cit.* 5. *ordines eccleſiaſtici, qui infra par.* 5. *fol.* 511 inquit, quod prima tonſura largo modo eſt ordo

52 ſacer, & ad eam promotus à non ſuo Epiſcopo eſt inhabilis ad beneficia, niſi ſui Epiſcopi accedat conſenſus expreſſus, vel tacitus, ſubdens *ex Probo ad cap* 1. *de tempor.ordin. in 6. ad Ioan. Monachum num.* 7. *Verſ. His tamen non obſtantibus*, primam tonſuram ab alieno Epiſcopo collatam tenere, nec reperiri canonem eam annullantem; ſubdentem, talem nihilominus eſſe incapacem beneficij, niſi tacite, vel expreſſe toleretur à ſuo Epiſcopo. Sequitur Gemin. conſ. 133. contra Guidopapam deciſ. 449 confirmatur per Bullam Vrbani VIII. ſupra 48. quæ hos ſubijcit poteſtati laicæ.

53 Demum primam tonſuram non imprimere verum Caracterem docent *Cardin. de Lugo diſp.*6. *de ſa-*

de ſacram. num. 7. & 22. Gabriel. Carmel. q. 3. de ordine num. 14. vbi quod non imprimit caracterem, niſi moralem, quia ſacramentorum eſt phyſicus, Auerſa q. 1. de ordine ſect. 5. fine. Ex hactenus deductis colligitur quid ſit prima tonſura, quæ ſic deſcribitur.

4 Prima tonſura eſt res ſenſibilis ſacramentalis, & ſpiritualis ab eccleſia inuenta, de laico tonſuratum ab Epiſcopo factum clericum cum priuilegio clericali, aptum, idoneum, & capacem ad recipiendos ordines, iuriſdictionem eccleſiaſticam, beneficium quodcunq; & penſionem titulo eccleſiaſtico conferendam. Singulæ particulæ ſunt explicandæ.

Dixi 1. quod eſt res ſenſibilis, hoc de ſe patet, conſiſtit enim in illa tonſione capillorum, quã actionem eſſe ſenſibilem nemo ſane mentis negare poteſt, dum apparet oculis intuentium Epiſcopum tondentem.

Dixi 2. quod eſt res ſacramentalis, & ſpiritualis, quia ordinatur ad ſpiritualia, nam confert clericatum tonſurato, quem etiam diſponit ad ordines, & alia, quæ in ſe habent rationem ſpiritualitatis, ergo neceſſe eſt, quod & ipſa ſit ſpiritualis, cui aſſimilentur ſui effectus. Vnde bene dixit Scotus in 4. diſt. 24. quod prima tonſura eſt ſignum rei ſacræ, ſed non practicum quia gratiam non confert.

i 3. inuenta ab eccleſia, quia cum non numeretur inter ſacramenta, vt probatum fuit auctor

eſt

eſt eccleſia, non poteſtas laicalis, quæ nullam poteſtatem habet ſuper eccleſiaſtica, quod etiã inſinuat Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 24. initio, ex Iſidoro, vt notat etiam Viuianus lib. 6. de Iurepatron. cap 7. num. 33.

58 Dixi 4. quod ab Epiſcopo confertur, quod patet ex Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 4. & 6. relatiue ad 8* Expreſſius *Cap. fin. de tempor. ordin. in 6. Bonac. p. 4. de ordine num 7.* Etiam ab Epiſcopo degradato collata valet, quia non amiſit caracterem r tione Sacerdotij, ex eodem Bonac. num. 2. Vnde ſi Epiſcopus non dum eſt Sacerdos, inualide eam confert, cum careat ordine, & caractere requiſitis ad collationem primæ tonſuræ, ex eodem num. 5.

59 Dixi 5 tonſuratum per tonſuram de Laico fieri clericum, is enim effectus nuncupatus clericatus eſt principalis, & immediatus à tonſura productus miniſterio Epiſcopi; clericatus autem eſt quid ſpirituale tonſurati ita adhærens animę, vt nulla ratione ab ea remoueri poſſit, nec per degradationem non ſolum verbalem, quæ eſt depoſitio, ſed etiam actualem, cum hæc auferat non clericatum, nec ordinis caracterem, ſed tantum beneficium, officium, & priuilegium clericale ſcilicet fori, & Canonis, ex allegatis à Bonac. de degradat. num. 5. vbi ſacerdos degra-

60 datus adhuc valide celebrat, quia in eo non fuit deſtructus caracter per degradationem, ergo nec clericatus, quia alias laicus diceretur celebrare.

Vide

Vide Scotum in 4. diſt.25. q.1. verſ. Sed quomodo, vbi quod non tollitur caracter, ſed tantum priuilegium, ergo non clericatus, ibidem Faber. diſp. 2. num.10. de cenſur. licet ne verbum quidem faciant de prima tonſura, tamen idem de ea dicendum eſt, & à fortiori, cum non ſit ordo, nec habeat actum exercitij, quo priuari poſſit.

61 Dixi 6. per tonſuram tonſuratum aquirere priuilegium clericale, priuilegium autem hoc eſt ſecundus effectus tonſuræ fluens quodammodo à clericatu, quia ad eum ſequitur inſeparabiliter, ex quo enim tonſuratus eximitur à laicali ſtatu non amplius eſt ſubiectus poteſtati laicæ, ac proinde dicitur aquiſiſſe priuilegium exemptionis ab ea, vt non poſſit iudicari neq; in perſona, neq; in rebus ſuis, & hoc dicitur priuilegium fori, quo gaudent etiam ſolum tonſurati, modo aut habeant beneficium eccleſiaſticum, vel deferant habitum cum tonſura inſeruientes alicui eccleſiæ, vel in ſeminario, aut ſchola exiſtentes de licentia Epiſcopi, etiam coniugati cum vnica; ex Tridentino ſeſſ. 23. cap.6. bene, & breuiter explicat ex noſtris P. Coronius lib 3. de cleric. controu.4. cap.1. num.34. & ſeq. Aliud priuilegium dictum Canonis, vt percutientes clericos etiam ſolum tonſuratos incurrant excōmunicationem cap. Si quis 29. 17. q.4. Papæ reſeruatam, aquirunt tonſurati.

 Dixi

62 Dixi 7. tonſuratum fieri capacem quatuor rerum eccleſiaſticarum, ordinis, iuriſdictionis, beneficij, & penſionis, reſpectu quarum proprie dicitur diſpoſitio ad ea recipienda. Itaq; homo per tonſuram aquirit clericatum cum duobus alijs effectibus ad clericatũ conſequentibus, qui ſunt priuilegiũ clericale fori quo ad perſonam, & rem, & canonis, vt illum percutiens incurrat excomunicationem, & capacitas ad illa quattuor. Certum autem eſt ex dictis ſub Dixi 5. tonſuratum perdere poſſe poſteriores duos effectus, vel ex ſua culpa per degradationem, vel ſine culpa, vt ſi cõtrahat matrimonium, abiectis inſignijs clericalibus, iuxta dicta in precedenti dictione, nonquam verò perdit clericatum, quia is animæ eſt infixus, ex probatis ſub num. 51.

63 Ad ordines ergo digne, & licite recipiendos pręmittenda eſt prima tonſura, ex quo dicitur præparatio, & diſpoſitio ad illos, ex Tridentino ſeſſ. 23. cap. 3. Si tamen omittatur, promotus valide recipit Hoſtiariatum, & alios ordines, de communi *Toletus lib. 1. cap. 71. Bonac. p. 5. de ordine num. 11. Caſtropal. p. 5. num. 8.* Sicut recipi poſſunt valide, non licite ordines per ſaltum, debito ordine non ſeruato, vt omnes docent *cum S. Bonauentura in 4. diſt. 24. art. 1. q. 3.* quia ordo recipiendi ordines gradatim eſt tantum congruitatis, non neceſſitatis.

64 Sed hinc oritur difficultas, qua ratione, inton-

tonſuratus poſſit valide recipere v.g. Hoſtiariatum, cum ad illum non ſit diſpoſitus, neq; enim forma in naturalibus poteſt introduci in ſubiectum, niſi prius diſpoſitum, ars autem imitatur naturam, ac proinde in hoc eccleſia non fuit imitata naturam, dum quem immediate de laico facit Hoſtiarium, cum debuiſſet prius recipiſſe clericatum, nullus enim promoueri poteſt ad quemcunq; ordinem, niſi prius ſit factus clericus per primam tonſurã?

65 ℞ Laicum non tonſuratum per receptionem Hoſtiariatus fieri clericum, clericatus enim valde relucet in ordinibus, qui producũt eundem effectum, quẽ gignit prima tonſura, quicquid enim præſtat illa, efficere poteſt quilibet ordo ante eam receptus, ſuperior enim gradus perfectiori modo continet virtutem operandi, quæ reperitur in inferiori. Ad rationem dubitandi reſpondeo, eccleſiam quantum ex parte ſua, imitari naturam, dum præſcribit, primam tonſuram eſſe ordinibus præmittendum; quod ſi poſtea quis hunc ordinem non ſeruat, ipſe eſt in culpa, & quoniam nullo iure talis præpoſtera ordinatio irritatur, ideo cẽſetur efficax & valida, cum in ſua ſubſtantia non deficiat.

66 Ad recipiendam, & exercẽdam iuriſdictionẽ in foro externo eccleſiaſticam ſufficit prima tantum tonſura, nam per clericatum fit capax ad illam, vt dixi. Ita docent omnes, dum quærunt, an initiatus tantum prima tonſura poſſit

eligi in Vic. Gen. Epiſcopi? Expreſſe *cap. In noua* 22. 16. q. 7. *Barb. lib.* 1. *de iure eccl. cap.* 15. *n.* 14. & *Allegat.* 54. *n.* 4. vbi infinitos Doctores recenſet; certum enim eſt, laicos non poſſe vti iuriſdictione eccleſiaſtica, cap. 2 de iudic. quia hæc habet pro radice, & fundamento ad minus primam tonſuram, & clericatum.

68 Vt quis ſit beneficiorum eccleſiaſticorum, tã ſimplicium, quam curatorum, & iuſpatronatorũ capax, debet eſſe initiatus prima tonſura quæ laicum incapacem per clericatum reddit capacem. Ita omnes *ex cap.* 2. *de inſtit. cap. Ex literis* 6. *de trãſact. Tridẽt. ſeſſ.* 23. *cap* 6. *Barb. li.* 3. *de iure eccl. cap.* 13. *n.* 159. *Ricc. p.* 1. *reſol.* 151.

69 Tandem idem dicendum eſt de penſionibus eccleſiaſticis, quod quis earum non eſt capax, niſi ad minus ſit tonſuratus, in eo enim producit hunc effectum capacitatis penſionum, vt dixi ſupra, & docent omnes *cum Pio V. ex eius Bulla* 135. *incip. Ex proximo*, vbi obligantur

70 penſionarij ad recitandum officium B. M. paruum; *Nauar. conſ.* 63. *de ſimon. n.* 6. *alijs citatis Caſtropal. diſp.* 1. *de benef. p.* 11. *n.* 1. §. *Ceterũ*, *Rota par.* 6. *deciſ.* 38. *n.* 10. Et ad eam obtinendam ſufficit ſeptennium; *ex Gratian diſcept.* 397. *n.* 18. *lezana V. Ætas n.* 9. *Tondutus lib.* 1. *quæſt. & reſol. beneſic. par.* 2. *cap.* 1. §. 4. *n.* 7.

71 Colligitur hinc, primam tonſuram eſſe magis neceſſariam, quantum ad valorem, ad hæc tria iuriſdictionem ſcilicet, beneficiũ, & penſionẽ,

quæ

quę ſine illa inualide recipiuntur ex dictis, quã ad ordines, quos intonſuratus valide recipit; vnde prima tonſura eſt magis diſpoſitio in ordine ad illa tria, quam ad ordines, reſpectu quorũ eſt accidẽtaria, eſſentialis vero reſpectu illorum trium; ac proinde ſolum idoneitatem diſpoſitiuam dicit reſpectu ordinum, & præterea reſpectu illorum trium etiam validitatem influit in illis. Itaq; prima tonſura ordinatur eſſentialiter ad illa tria, ſicut baptiſmus ad reliqua ſacramenta; accidentaliter vero ad ordines, ſicut confirmatio ad recipiendos ordines, qui valide ſinę illa conferuntur.

Duo dubia proponuntur, vnum eſt, an recipiens primam tonſuram ad effectum conſequendi beneficium, penſionem, vel iuriſdictionem cum intentione vlterius non procedendi, peccet? Alterum eſt, an ſub nomine vocabuli *Ordinis* veniat etiam prima tonſura?

72 Ad 1. reſponſio eſt negatiua, quia nullo iure tonſuratus cogitur vlterius creſcere, immo initiatus minoribus non peccat mortaliter ſiſtendo in illis. *Sanch lib. 7. diſp. 31. n. 16. multis cit. Diana par. 2. tract. 16. reſol. 20 & par. 10. tract. 16. reſol. 61.* apud noſt. P. Coton. publicum in Vniuerſ. Patau. Metaphyſ. *lib. 3. contrau. 1. cap. 5. n. 111.* Et licet nõ loquantur de caſu noſtro, vt in terminis *Vaſq. de benef. cap. 3. §. 111. dub. 1.* tamen à fortiori patet, honeſtiorem eſſe finẽ recipiendi primam tonſuram in ordine ad illa

 tria,

tria,quia ſpecificatur ab illo eccleſiaſt. off.ſeruiendi Deo in regimine fideliũ per iuriſdict.& recit. diu. off. quã fruendi priuilegijs fori, qui finis parum,aut nihil honeſtatis habet,niſi cõiungatur cum intentione ſeruien. Deo, quod eſt principale intentum, quod debent habere accedentes ad cleric. Intellige niſi beneficium ſit ſacerdotale perſonale, quia tũc peccat, niſi ordinetur,cum tale benef. detur propter offic.

73 Ad 2. prima tõſura in materia odioſa non venit ſub nomine ordinis, ſed tantum in materia fauorabili. Ita Caramuel vir ingenioſiſs.in fine ſuæ Theol. fundam. Rom. impreſs. poſt XV. concl. fundatur in ea iuris vtriuſq;regula: *Odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi*. Quare ſacri can. infligentes aliq. pęnam contra male promotos ad ordines non comprehẽdunt tonſuratos tantum, niſi de prima etiam tonſ. fiat mentio, quia prima tonſ.non eſt ordo ſecund. Theol. & ſi eſt ſecund. canoniſtas talis eſt im-

74 proprie,& large, immo largiſſime,quia vix aſſimilatur ordini,ideo in re odioſa,quę attẽditur reſpectu ſubiecti nõ venit ſub nom. ord. Hinc eſt,quod Sixtus V. & Vrbanus VIII. de quibus ſupra n.48. vt comprehẽderent ſub ſuis Bullis pœnalibus, & odioſis reſpectu ſubditorũ male promotos in terminis expreſſerunt primã tonſuram,ordines minores,& maiores,ſi enim tacuiſſent nomen tonſuræ, certe pęnis non afficerentur male tonſurati, quia in odioſis tonſura

non

nō venit ſub nomine ordinum. Confirmatur id ex cap. Cum illorum 32. de ſent. excom. vbi ſuſpenſio lata contra cenſuratos recipientes
75 *eccleſiaſticos ordines*, nō comprehendit cenſuratos recipientes primam tonſuram, *Nauar. conſil. 28. de ſent. excom. Suarez diſp. 31. de cenſ. ſect. 1. n. 58. Auila, & Filliuc. apud Theſaur. Ieſuitam de pœnis eccleſ. V. Ordo cap. 14. verſ. Ampliant etiam.* Vbi antecedenter refert Auilam *par. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 6. Nauar. cit. conſ. 48. Rodriq. cap. 168. concl. 4. Sà V. Irregularitas ex ordinis abuſu n. 1.* Aſſerentes, pœnas inflictas contra male promotos ad ordines ſacros non cōprehendere initiatos minoribus.

Hucuſq; dicta de prima tonſura faciunt ad probationem illius minoris; *ſed prima tonſura non eſt ordo*. Ex qua, & eius maiori puto efficaciter illatam eſſe hanc concluſionem, *ergo irregularitas non impedit promotionem primæ tonſuræ*; quod maxime verum eſt in caſu noſtro, in quo illa nō ſpectatur vt diſpoſitio ad ordines, dum per tonſ. aliud non intendit conſequi niſi benef. patronale domus ſuæ, diſpoſitio enim, quam dicit prima tonſura non eſt illi connaturalis reſpectu ordin. ſicut calor, & ſiccitas in ligno diſponendo ad formam ignis, ſed tantū accidētalis, & ſuppoſititia ſi velit recipere etiā ordines, ergo nolens recipere ordines non poteſt ſpectari, nec conſiderari vt diſpoſitio, cū vt dicit relationem non habeat terminum, nec

velit habere ordines terminos eius diſpoſit.

77 Quamuis hæc opinio, quod Epiſcopus poſſit ſine vlla diſpenſatione conferre primam tonſuram irregulari ex vitio corporis in caſu noſtro, immo & ſimpliciter ſit multũ probabilis, tamen comũniſſima ſententia eſt, quod irregularis non poſſit initiari prima tonſura, vt videri poteſt *apud Bonac.q.1.de irregul. p.1.n.4 Diana par.11.tract.5 reſol.1. Caſtropal.p.5. de irregul. bene Paſqualig.q.87.* Quam laudamus, quia fere ab omnibus amplectitur, ſed potiſſimum, quia eam ſequentes ſunt tutiſſimi nihilominus oppoſitã practic. adhuc in conſcientia ſecuri ſunt, ex ſua probabilitate inixa bonis fundam. & vt magis probabilis appareat reſpondendum eſt argum. quæ in contrarium adducuntur ab Aduerſar. maxime à Paſqualigo.

78 Primum eius argumentum eſt hoc. Licet prima tonſura non ſit proprie ordo, ſed tantum diſpoſitio ad ordin. quia tñ. conſtituit tonſuratum in ſtatu clericali, & eſt character cleric. ex motu Six. V. ideo eſt ordo ex cap. Cũ cõting. de ętate, cum ergo irregul. ſit inhabil. à ſacr. can. ad ord. ſuſcipiendos, nomine ord. debent venire ea oĩa. quæ apud ſacr. can. ord. dicũtur.

℞. fuit ſupra ſub. num.73 ſub nomine ordinis in odioſis venire eos gradus, qui proprie ordines ſunt, non autem improprie, & lato modo; certum autem eſt etiam ſecundum canoniſtas nomen tonſ. impropr. & lato modo venire ſub

nomen

nomine ordinis, vt de communi aduertit *Tintus de ordine q.5. art.17. à num. 28. Commentator Scoti in 4. in fine diſt. 24. num. 139. Caſtropal. p.5. de irregular num.2.* Vocatur vero caracter clericalis, quia ſignum eſt ſenſibile denotans clericatum, quem producit in tonſurato, vt dixi ſupra ſub num. 37. reſpondendo Bullis Sixti, & Vrbani, & ſub num.32. ad cap. Cum contingat, vocari ordinem non ſimpliter, ſed clericalem, quia facit tonſuratum clericum, non ordinatum, quia illi nullum aſſignat officium exercendum in eccleſia. Cum ergo prima tonſura ſecundum Paſqualigum non ſit proprie ordo, ſed tantum improprie, & lato modo, pæna inflicta contra male ordinatos ex irregularitate non eſt extendenda ad tonſuratos, lex enim pænalis, & odioſa non extenditur vltra propriam verborum ſignificationem, vt multis citatis ibidem docet idem Paſqualigus.

Qui tamen reſpondet ad hoc *primo* ſacros Canones primam tonſuram nominare ordinem, & ſic Rotam Romanam procedere in iudicando ex ſuppoſitione, quod eſt ordo. Sed ſupra probatum iam fuit non eſſe ordinem, nec ſacros Canones nominaſſe eam vnquam ordi-
80 nem, ſed illud vnicum cap. Cum contingat, eam appellaſſe ordinem, hoc eſt, ſignum, & gradum cum addito, clericalem, quia, de laico facit clericum. Adhuc ergo argumen-

tum eius non ſubſiſtit, ſed verum eſt dicere, quod irregularitas non impedit ſuſceptionem
81 primæ tonſuræ. Ideo reſpondet *ſecundo*, quod lex pænalis extenditur ex identitate rationis, multis citatis Doctoribus, ſubdens, quod non eſt proprie extenſio, ſed comprehenſio, quando interuenit ratio identitatis; quæ eſt anima legis; ſed ratio, quæ militat in irregularitate quo ad ordines, militat etiã quo ad primam tonſuram, nam honor, qui debetur miniſterio diuino, & facit, quod aliquæ perſonæ debeant cenſeri inhabiles ad ordines, facit etiam, quod debeant inhabiles haberi ad primam tonſuram, cum adhuc per ipſam deputentur diuino miniſterio. *Negatur* iſta identitas rationis, nam tonſuratus ad nullum miniſterium deputatur, cum nullam recipiat poteſtatem ad agendum, ſed tantum ad patiendum, & recipiendum vel ordines, vel beneficium, vel iuriſdictionem, aut penſionem, ex dictis.

Subiungit ex Sayro lib 6. de cenſur. cap. 1. num. 1 quod lex de irregularitate non eſt pænalis, quia ea non eſt pæna, nec eſt odioſa, cum ſit in fauorem diuini cultus,

82 Contra eſt primo, quia lex de irregularitate eſt pænalis, vnde Scotus *in 4. diſt* 25. *q.* 1. vocat eam pænam, & cum eo Faber *diſp.* 3. *de ordine num.* 4. *Caiet. V. irregularis*, contra Suarez. *diſp.* 40. *de cenſur. num.* 2, ſed non probat,

bat, & præcedenti num. 1. explicans irregularitatis nomẽ ex *in* quod vim habet priuationis, dixit illud eſſe irregulare, quod intra regulam non continetur, dic tu, quod eſt priuatio regulæ, ergo ex quo includit rationem priuationis, pæna eſt, quia priuatio eſt pæna, ac proinde etiam irregularitas, vt docet ipſemet Suar. *de legib. lib.4. cap* 18 *fine, & lib.* 5. *cap.8. initio*. Eſt ergo pæna, quæ appellatur impeditiua alicuius boni, non corporis afflictiua. Sed non conteramus tempus in cortice vocum. Irregularitatis ergo lex pænalis eſt, & quidem odioſa, cum impediat à conſecutione bonorum magni momenti. Nec adducta ratio, quod non ſit odioſa, ſuffra-
83 gatur, quia odium deſumitur relatiue ad ſubditos, dum illis comminatur aliquod malum, vel impediuntur à conſecutione alicuius boni aliter nulli eſſent canones odioſi, ſed omnes fauorabiles, cum omnes referantur ad ſalutem animarum, & cultum Dei. Lege dictum Suarez lib. 5. cap. 2. num. 6. vbi lex pænalis, & odioſa illa dicitur, quæ pænam, vel aliud ſimile grauamen infert.

Secundum argumentum eiuſdem Paſqualigi eſt. Apud ſacros Canones irregularitas explicatur tamquam inhabilitans ad ipſum ſtatum clericalem, & eccleſiaſticum miniſterium, cap. Si quis de laicis, diſt.34. ibi: *In clericum nullatenus admittatur*. Item cap. Si laici, ead.

 ibi:

ibi: *Hic talis ad miniſterium eccleſiaſticum nullo modo adducatur*. Item cap. Si quis viduam, diſt. 50. ibi: *Non admittatur ad clericatum*. Ergo cum irregularitas ſit inhabilitas ad ſtatum clericalem, erit etiam inhabilitas ad primam tonſuram, quia per ipſam tonſuratus ponitur in ſtatu clericali.

Reſpondetur, illos textus, qui loquuntur de bigamis, intelligendos eſſe de ſacris ordinibus, vt obſeruat Gratian. ad 8. & 12. cap. citatæ diſt. 34. quod idem dicendum eſt ad cap. 8. diſt. 50. Et quod ita ſit, clare indicatur in illis verbis. *Ad miniſterium eccleſiaſticum nullo modo adducatur*, & ille textus ſic concluditur. *A miniſterio alienus ſit*. Certum autem eſt,
84 tonſuratum nullum miniſterium in eccleſia habere, quia prima tonſura cum mere receptiua ſit nullum munus, nec miniſterium tribuit initiato; vnde ibi nomine clericatus, ſeu
85 clerici venit ſolum ordinatus ex illis ſeptem, à quibus excluditur bigamus. Et quod bigamia excludat præciſe ab ordinibus ſacris, nulla facta mentione primæ tonſuræ clare dicitur in eadem diſt. 34. cap. Curandum 9. cap. Præcipimus 10. cap. Si quis 15. Quod adhuc clarius habetur in toto titulo de bigamis non ordinandis ordinibus ſacris; vnde quod bigami non debeant admitti ad clericatum, vel in clericos iuxta textus adductos à doctiſſimo Paſqualigo intelligendum eſt hoc de ordina-

tis,

tis, non tonſuratis.

86 Tertium eiuſdem argumentum. Praxis, & communis ſententia legem interpretatur, ex allegatis ab eodem Paſqualigo; ſed communis ſenſus tenet, quod irregularitas inducat inhabilitatem etiam ad primam tonſuram, quia nullus vnquam oppoſitum dixit, ergo non eſt dicendum, quod irregularis poſſit ſuſcipere primam tonſuram, quia lex obligat ſecundum interpretationem, quam habet à communi ſenſu.

Reſpondetur, in hoc argumento duo ſpectari poſſunt, *primo*, quod ſupponit primam tonſuram eſſe verum ordinem, quod falſum eſt, vt non ſemel probatum eſt, quo poſito ruit argumentum; quia irregularitas cum de odioſo habeat inabilitans ad ordines non eſt extendenda ad primam tonſuram, vt probatum fuit. *Secundo* ſi ſpectemus hanc controuerſiam, an irregularitas impediat ſuſceptionem primæ tonſuræ? ea non eſt antiqua, ſed recens noſtris temporibus exorta, cum dicatur inuẽta à Bariola Auguſtiniano, vt dixi ſub num. 4. ergo, cum pro moderna habeatur, locum habere non poteſt argumentum de praxi & interpretatione legis de prima tonſura,
87 cum nulla lex de ea exiſtat, quod recipi poſſit, vel non poſſit ab irregulari; & cum hæc controuerſia pendeat ab ea quæſtione, an ſit ordo prima tonſura, videtur ſublata contro-

uerſia, quia prima tonſura nullibi in iure dicitur ordo, niſi in illo capite *Cum contingat*, iam pluries explicato, quod ſit ordo cum addito ſcilicet clericalis, non ſacramentalis, & quandocunq; in iure fit mentio de prima tonſura, ea exprimitur diſtincta à quouis ordine,
88 vt legi poteſt in cap. fin. de temp. ordin. in Bullis Sixti, & Vrbani, de quibus ſupra num. 48. In Tridentino ſeſſ. 23 cap. 2. & de Reformat. cap. 4. 6. 10.
89 Quartum argumentum. Quando prohibetur aliquid, prohibentur etiam ea omnia, perquæ tamquam per media ex natura ſua ad ipſum ordinata, peruenitur ad illud. Vnde cum prima tonſura ſit ianua, & via ad ordines ex ſua inſtitutione, eo ipſo, quod quis inhabilitatur ad ordines, inhabilitatur etiam ad primam tonſuram.
90 Reſpondetur, illud vulgatum axioma habere locum in ijs, in quibus militat eadem ratio, *ex allegatis à Nauar. conſ. 4. de raptor. num. 2. Maſcard. concl. 102. num. 3.* Conſtat autem ex ſupradictis, præſertim num. 81. diuerſam eſſe rationem, ideo enim irregularis
91 repellitur à ſuſceptione ordinum, quia turpe, & indignum eſt, quod irregularis ſe exerceat in diuinis miniſterijs, quæ ratio cum non poſſit militare in tonſurato, qui ad nullum diuinum miniſterium deputatur, ideo ex hac rationis diuerſitate irregularis non poteſt promo-

mo-

moueri ad ordines, vtique ad tonſuram, licet per eam perueniatur ad ordines, quia nullum habet tonſuratus exercere miniſterium in eccleſia Dei. Præterea; illud axioma locum habet, vbi antecedens eſt de ſubſtantia conſequentis; vt patet de tractatu in alienationibus, hac enim interdicta, prohibetur tractatus; de ſponſalibus precedentibus matrimonium, de nouitiatu reſpectu profeſſionis, ex prohibitione conſequentis ſequitur prohibitio antecedentis, quia vnum eſt de valore alterius; prima autem tonſura non eſt de valore ordinum, vt patet ex num.63. neq; enim producit Hoſtiariatum, qui ſine illa collatus tenet. Prima ergo tonſura licet ſit ianua, & via ad ordines, ſine illa tamen perueniri poteſt ad ordines, ergo cum non habeat neceſſariam connexionem ad valorem illorum non comprehenditur ſub illo axiomate.

92 Quintum argumentum ex Marchino apud Dianam par. 11. Reſolut. 1, tract. 5. verſ. Sed ego. Nullum in tota natura datur ſubiectum naturale, quod ſit capax propriæ diſpoſitionis ad aliquam formam, quin etiam talis formæ non ſit capax; ſed prima tonſura eſt diſpoſitio ad ordines, ergo ſi irregularitas impedit à ſuſceptione ordinum, etiam ſuſceptionem primæ tonſuræ prohibet.

Reſpondetur hoc argumentum nihil bene concludere, quia concludit de facto, quod non

ſeminauit, nempe de irregularitate, de qua ne verbum quidem in præmiſſis. Quare ſicut ſubiectum naturale e.g. lignum recipit diſpoſitiones caloris, & ſiccitatis, & tandem formam ignis, ad quam per eas fuit diſpoſitum; ita homo ſubiectum recipit tonſuram diſpoſitionem, & poſtea formam Hoſtiariatus, ad quam per clericatum tonſuræ fuit diſpoſitus. Certe argumẽtum nihil aliud probare poteſt, irregularitas enim non habet rationem diſpoſitionis, cum ſit impedimentum, & indiſpoſitio. Quod ſi velis dicere, quod ſicut frigiditas, & humiditas impediunt ſubiectum, ne recipiat ignis formam, ita irregularitas impedit laicum ne recipiat Hoſtiariatum, bene currit diſcurſus, ſed hoc non intenditur in argumento, niſi quod ſicut irregularitas impedit ſuſceptionem ordinis, ita etiam receptionem primæ tonſuræ, ſed id potius ſupponitur ex argumento, quam probetur.

Supradicta hucuſq; in fauorem eius, qui Claudus, aut gibboſus, &c. quærit primam tonſurã, vt ſit capax beneficij patronalis de domo ſua, non videntur ſuffragari, quia conceſſo etiam, quod irregularis poſſit initiari, vt probatum fuit, non ideo ſit habilis ad beneficium, quia reſpectu illius adhuc remanet irregularis, quia ſacris Canonibus irregularis arcetur
39 à beneficijs ſuſcipiendis, *cap. Dudum* 22. *de elect. cap. Cum bona* 8. *de ætate, cap.* 2. *de cler.*

pugnan-

pugnante in duello, cap. Poſtulaſti 7. de cler. excom. min. cap.2. de cler. non ordin min. Riccius par.1. reſol.178. Sayr. lib.6.cap.2. num.22. Ratio eſt, quia beneficium datur propter officium exercendum; ſed irregularis non poteſt exercere aliquod ordinis officium, ergo etiamſi ſit tonſuratus eſt incapax beneficij. Ita communiter Doctores *apud Bonac. de irregul. q.1. p. 4. num.6 Caſtropal. diſp.9. de cenſur. p.6. num.5. & de benefic. diſp 1. p.11. §. 3. num. 8. Diana reſol 37. de irregul. & par. 11. tract. 5. verſ. Verum.* Sed his non obſtantibus.

94 Dicendum eſt tonſuratum licet irregularem eſſe capacem beneficij patronalis non ſacerdotalis, quale eſt illud, de quo loquimur, cuius beneficiarius tenetur ſolum perſonaliter ad recitandum Horas Canonicas, & ad certum miſſarum numerum, quibus per tertium ſatisfacere poteſt.

95 Probatur eneruando oppoſitam opinionem, quod beneficium inualide conferatur irregulari, quia nullibi in iure legitur huiuſmodi irritatio. Ita pleriq; cum *Suarez diſp.40 ſect.2. num.30.* reſpondens teſtibus, per quos Aduerſarij probant nullitatem, dicit tamen receptionem eſſe illicitam, Caſtropal. p. 5. de irregul. num. 7. Deinde, cum iſte irregularis
95 non intendat aſcendere ad ordines, cum non obligetur à Patrono, non poteſt dici formaliter

liter talis, in quantum irregularitas impedit
receptionem ordinum, & receptorum exe-
cutionem, ex quo non vult ordinari, conſe-
quenter irregularitas tunc materialiter ſpe-
ctatur pro illo naturali defectu, & ſic non eſt
ſpectanda in ordine ad recitationem officij,
ad quod ſolum obligatur ex vi beneficij, cum
ipſa recitatio non ſit obiectum, quod per ir-
regularitatem impediatur, & ita colligo ex
Sayro lib. 6. cap. 2. num. 23. vbi irregularitas
non ponit impedimentum, quãdo non requi-
ritur ordinis exercitium; *Bonac. p. 4. de irre-
gul. num. 3. vbi cum Nauar. cap. 27 num. 252.
Auila, Valentia, & Garzia* idem dicit, nimi-
rum irregularem eſſe capacem beneficij, quod
non habet adnexam obligationem repugnan-
tem tali irregularitati, vt eſt præſens in caſu
noſtro recitatio officij, quæ nullo modo re-
pugnat irregularitati, neq; proinde ſpeciali
irregularitati; quod colligitur ex cap. Studeat
39. diſt. 50. vbi irregulari ex homicidio non
voluntario omnino prouidetur de beneficio,
vt viuere poſſit, intellige, quod non habet
obligationem exercendi aliquem ordinis actũ.
Nec diſſentit Suarez ea diſp. 40. ſect. 2. num. 31
vbi mentionem facit de ſola obligatione reci-
tandi Horas Canonicas, & num. 39. vbi dicit,
nouitium irregularem non peccare profiten-
do; quia non ordinatur per ſe ad miniſteria
56 clericorum, ſed tantum ad perfectionem
acqui-

acquirendam per regularem obſeruantiam;
ergo irregularis licite recipit beneficium,
quia per hoc non ordinatur ad aliquod mi-
niſterium clericorum, ſed tantum ad recitan-
dum diuinum officium; in quo ſenſu ſequitur
etiam lezana V. irregularitas num. 3, citando
pro ſe Cornexum, & Suarez num. 38. ſequitur
Cotonius lib. 3. de Clericis controu. 2. cap. 1.
num. 11. & citat. Geſualdum de irregul. cap. 3
num. 14. & 5. qui tamen id negauerat num.
12 de penſione, ſed minus conſequenter, dum
admiſit irregularem eſſe capacem benefici j
non obligantis ad exercitium ordinum, vel
eorum ſuſceptionem, negando id reſpectu
penſionis, cum tamen par, & eadem ſit obli-
gatio recitandi diuinum officium magnum,
ſeu paruum. Quare concludendum eſt in
ſententia horum, claudum, gibboſum, mo-
97 noculum, &c. irregularem quemcunq; eſſe
capacem beneficij obligantis ſolum ad Horas
Canonicas. In tantum enim formaliter eſt ir-
regularis, in quantum beneficium habet ad-
nexam receptionem ordinum cum illorum
executione, quod præſtari non poteſt per ir-
regularem.
98 Et ex his reſpondetur Aduerſarijs, irregu-
larem non eſſe incapacem beneficij, nec eius
collationem eſſe irritam, licet prohibeatur
per aliquot ex dictis textibus, quibus reſpon-
det adæquate Suarez diſp. 40. num. 30 & ſe-
quent.

quent. Noſter Cotonius cit. num. 14. conciliat præfatas opiniones, dicendo, quod irregularis non eſt ita incapax, vt non poſſit validè recipere, ſi collator vellit, ſed irrita cen-
99 ſetur collatio, ſi illi vitium notum non fuerit, quia huiuſmodi ignoratio facit inuoluntariũ, vt pote circunſtantiæ, quæ feciſſet collationem illicitam. Cuius dicta referenda magis ſunt ad beneficia ſacerdotalia quam ad non talia, vt in caſu noſtro, quorum collatio eſt omnino licita.

100 Ad illud vulgatum: *Beneficium datur propter officium* ex cap. fin. de reſcript. in 6. dico, proprie intelligendum eſſe de officio Horarum Canonicarum, ex allegatis à Barb. ſuper dictum cap. num. 2. Immo etiam de officio ordinum, vt docet *Suarez. diſp. 26. de cenſur. ſect. 3. num. 3. ex eo Megal. de cenſur. lib. 5. cap. 1. num.* 13 In caſu autem noſtro beneficium reſpicit officium Horarum Canonicarum tantum, non exercitium ordinum, nec illorum ſuſceptionem,

Et ita concludo, ſaluo ſemper meliori iudicio, &c.

In

In qua parte Capitis vngendus ſit Sacro Chriſmate Baptizatus?

101 SAnctus Silueſter, vt legitur in eius VI. lectione 31. Decembris, docet, in qua parte iam baptizatus ſit vngendus Sacro chriſmate his verbis: *Vt Presbiter Chriſmate baptizati ſummum liniret verticem*. Quod decretum explicat Paulus V. in ſuo Rituali, de Sacr. Bapt. his verbis: *Deinde intingit pollicem in ſacro chriſmate, & vngit infantem in ſummitate capitis in modum Crucis*. Summus ergo vertex eſt ſummitas capitis, hoc eſt pars ſuperior capitis, vbi eſt corona cuiuslibet eccleſiaſtici tam clerici, quam religioſi, in quibus clericalis tonſura apparet ſupra cuiuslibet caput in parte ſuperiori repræſentans coronam ſpineã Chriſti Domini, in cuius capite fixa fuit ſupra pilos inferiores capitis, vt cunctis oculorum patet; quod egregie venerabilis Beda *Ordinis S. Benedicti*, quem alias calamus meus errando fecit Canonicum Regularem, cum Alcuino, quẽ Maraccius in Bibliotheca Mariana vocat eiuſdem ordinis, & diſcipulum illius, *demonſtrat lib. 5. Hiſtor. Anglic. cap. 22. apud Layman. lib. 5. de ſacr. ordin. tract. 9. cap. 12.*

his

102 his verbis: *Non ob idem tantum in coronam attondemur, quia Petrus Apoſtolus ita attonſus fuit, ſed quia in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt, idcirco & nos qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Certum ergo eſt, quod baptizatus vngendus eſt in ſummo vertice, hoc eſt, in ſummitate capitis, ex prædictis.

Sed quoniam non omnes verbum hoc capiunt, ideo clarius explicandum eſt, quæ pars capitis dicatur vertex, dicatur ſummitas capitis.

103 Nomine verticis, & ſummitatis capitis ſecundum omnes latinos, & Sanctos Patres, quibus ſtandum eſt, venit pars ſuperior noſtri capitis, nempe ea pars, quæ pillis ornatur præſertim intra ſinciput ab extremo frontis aſcendendo, & occiput pariter aſcendendo ad medium ſupremum ipſius capitis, in quo formatur corona clericalis religioſorum, ita quod ſummitas capitis eſt ille circulus tonſus ſupra pillos longiores ad eam partem ſuperiorem; patet enim caput pilloſum eſſe rotundum, ac proinde partem ſuperiorem intra illam coronam, vti altiorem dici ſummitatem, & verticem capitis. Itaq; baptizatus vngendus eſt intra illam partem ſuperiorem, vbi contingit fieri

coro-

corona, quæ ſolet ſignari in religioſis, iſta enim vnctio per merita paſſionis Chriſti, quæ relucet in corona eius ſpinea, ſignificat vnionem baptizati cum eodem Domino noſtro, vt docet Catechiſmus de ſacr.bapt. ſect. 72. corona autem ſpinea Domini reſpiciebat non frontem, ſed partem ſupra capillos inferiores capitis, quod circuibat.

104 Quod ergo à Parocho ea ſuperior pars, & non frons ſit vngenda docent tum Sancti Patres, tum Pontifices Romani relati apud Gratian.cap.Poſtquam 88.de conſecr. diſt.4. *Statim ſignatur in cerebro à presbitero Sacro Chriſmate* Cerebrum autem eſt ſupra frontem. Item cap. *Accepiſti miſterium, vnguentum ſupra Caput*. 90. diſt.4. eod. Supra caput,ergo non in fronte,quæ eſt infra caput. Item cap. Presbiteris 119.diſt.4. eod. dicitur: *Presbiteris chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopis fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis*. Si non poteſt ſignare frontem, debet aliam partem vngere, ac proinde partem magis ſuperiorem. Vnde in cap. Presbiteri 120. ead. eis prohibetur his verbis; *Presbiteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus non præſumant*. Clarius

105 cap. Nouiſſime 5. diſt. 5.de conſecr. dicitur: *Signatur enim baptizatus cum chriſmate in capitis ſummitate, per Pontificem vero in*

fronte.

fronte. Quare hoc? Rationem reddit Gloſ. V. Non ſignet, cap. Omni 124. diſt. 4. de conſecr: quia ſignare in fronte denotat collationem ſacramenti confirmationis, quod ſolis Epiſcopis competit; ſignare vero in vertice capitis etiam presbiteris, quia ſicut
106 ſacramentum baptiſmi eſt maius ſacramento confirmationis, ita vnctio in baptizato debet fieri in parte excellentiori capitis, vbi reſidet cerebrum.

107 Prædicta confirmantur ab Innocentio III. Cap. Vn. de ſacra vnct. §. Quia vero his verbis: *Omnes Chriſtiani* ſcilicet vnguntur, *bis ante baptiſmum, ſcilicet, Oleo benedicto primum in pectore, deinde inter ſcapulas; & bis poſt baptiſmum, ſcilicet in chriſmate ſancto; primum in vertice, deinde in fronte.* Deinde explicat has ſacras functiones, & ne quis poſſit dicere, quartam vnctionem quæ fit in fronte ſpectare cum reliquis ad Parochum baptizantem in ſeq. §. ait: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur; vnde cum cæteras vnctiones ſimplex Sacerdos, vel presbiter valeat exhibere, hanc non niſi Summus Sacerdos; ideſt Epiſcopus debet conferre.*

108 Ioannes Baptiſta Rubeus de diuinis officijs lib. 1. cap. 9 prope finem reddit bonam ratio-

nem;

nem, cur baptizati vngantur oleo chriſmatis *in vertice capitis ſupra cerebrum, inquit, vbi eſt ſedes ſapientiæ, vnguntur ad robur, & augmentum gratiæ*. Nullo ergo modo ſunt vngendi à Parocho in fronte, quia ibi non eſt cerebrum, nec ſedes ſapientiæ; ſed in ſummitate capitis, vbi ſituatur corona clericalis. Bizozerus, qui fuit Magiſter Bonacinæ de ſacr. Bapt. cap. 8. q. 6. dicit: *Vngitur puer in vertice capitis ad ſignificandum gratiam, quæ deſuper, ideſt, à Deo illi data eſt*. Quod enim deſuper venit non prius frontem, ſed ſummitatem capitis tangit. S. Ambroſius lib. 3. de ſacram. cap. hoc clarius dicit his verbis: *Occipis miſterium: hoc eſt, vnguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? Quia ſenſus ſapientis in capite eius*. Refert Suar. tom. 3. in 3. par. Diui Thomæ ad q. 71. in comment. art. 3. 1.

109 Hinc colligitur, quoſdam parochos male, & perperam agere, dum baptizatum vngunt in fronte etiam ſuperiori, quaſi velint imitari Epiſcopos conferentes ſacramentum confirmationis, cuius collatio horum tantum proprium eſt. Signet ergo ſacerdos in vertice capitis vbi eſt cerebrum ſapientiæ, & non in fronte.

110 Audio Parochos in duobus ſe excuſare. *Primo*, quia ita videtur dicere Toletus lib. 2 cap. 13. in Summa num. 4. his verbis: *Prima*

ma eſt ſignatio ſincipitis chriſmate. Sinciput autem eſt pars anterior capitis aures, temporaque complectens, ac proinde frontem mediantem inter ea. *Secundo* hoc iam vſu obtinuit, vt baptizati vngantur in parte ſuperiori frontis ad differentiam Epiſcopi linientis in media fronte; conſuetudo autem vti altera lex omnino ſeruanda eſt, licet deroget legi.

111 Reſpondetur, Toletum nihil aliud voluiſſe ſignificare per ſinciput quam ſummitatem capitis, nam ſinciput vti pars anterior capitis tendit à radice pillorum ſupra frontem verſus. Occiput partem poſteriorem, quæ ambo ſe ad inuicem relatiue habent, & coniunguntur accurrentia ad centrum coronæ clericalis religioſorum. Itaq; ſinciput non eſt frons, nec pars ſuperior frontis, nam frons à Calepino, & Anatomis deſcribitur, quod ambiatur à dextris, & ſiniſtris temporibus à ſuperiori capillorum radice, ab inferiori parte ſupercilijs terminata; ſinciput ergo, cum ſit pars complectens aures, & tempora, dicitur eſſe extra frontem, non ergo Parochi intelligunt Toletum, dum vngunt baptizatum in parte ſuperiori frontis, dum illum ſignare debent in parte verticis capitis intra circulum coronæ clericalis, quo tendit ſinciput. Et quod ita locutus fuerit Toletus colligitur ex eius ſequenti cap 24. num.3. vbi

dicitur

dicitur, quod confirmandus vngitur in fronte ab Epiſcopo, & non dixit, vngitur in ſincipite, quod expreſſit de baptizato, per has locutiones diuerſas volens inſinuare, quod aliud eſt frons, aliud vero ſinciput ſupra frontem tendens relatiue ad occiput; cum quo coniungitur, vt ſupra dixi.

112 Ad conſuetudinem aſſertam dico, hunc vſum vngendi in fronte baptizatum non mereri nomen conſuetudinis legem abrogantis de liniendo in vertice capitis baptizatum, quia legitima conſuetudo legem abrogans inducitur per actus contrarios voluntarios, cum intentione abrogandi legem, vt docent omnes cum Suarez *de legibus lib. 7. cap.* 12. *&* 18. *Bonac. diſp.* 1. *de legib. q.* 1. *p. vlt. §.* 3. *num* 12. *&* 17. Sed Parochi ſignando baptizatum in fronte putant ſe legem de ſummo vertice liniendo ſeruare, credentes ſumitatem capitis, & ſummum verticem eſſe ſuperiorem partem frontis, quæ adhæret primis pillis capitis, quod tamen eſſe falſum luce meridiana clarius apparet, vt ſupra probatum fuit. Debent ergo Parochi ſuum emẽdare errorem, & obſeruare legem preſcriptam de ſignando ſumitatem capitis, cuius Sanctus Silueſter non fuit legiſlator, ſed reme-

113 morator, quia is modus vngendi baptizatos erat in vſu tempore Apoſtolorum, vt obſeruat S. Dionigius Areopagita de cæleſti

hierar.

hierar. cap. 1. & 3. in Margine Catechiſmi, de Baptiſmo ſect. 72. Sequantur ergo eos Parochos, qui vngunt ſacro chriſmate baptizatos ſummitate capitis, ad formam Ritualis ab omnibus inuiolate obſeruandi, vt dicitur in fine Bullæ in eius capite inſertæ.

Quod ſi quis vlterius dicat, oportet infantulos vngere in ſuperiori parte frontis, quia vnctio eorum in ſummitate capitis eſt valde periculoſa in illa tenera ætate; & in hoc quoq; differt Parochus ab Epiſcopo, qui confert ſacramentum confirmationis in medio frontis.

114 Reſpondetur, nullum eſſe periculum vngere infantulum baptizatum in ſummitate capitis, ſicut nec illum abluere aqua baptiſmali, aliter eccleſia fuiſſet defectuoſa, & imprudens ordinando, talem vnctionem eſſe faciendam in ſummitate capitis, quod dicere valde abſurdum eſt. Seruandus ergo eſt iſte ritus vngendi in vertice capitis ad
115 euitandam læſionem, & tranſgreſſionem huius ſacri ritus, qui & ſi non ſit de ſubſtantialibus baptiſmi, ſed de accidentalibus, cum ſuperueniat iam baptizato, nihilominus in ſeipſo ſit conſiderabilis, & myſterium, iuxta ſuperius dicta, præſeferat ſerio obſeruandus eſt iuxta perſcriptum Pauli V.

FORMVLARIVM
PROCESSVVM
In Cauſis Criminalibus Regularium.

1 PRoceſſus acceptus pro ſerie, & coordinatione omnium actuum ab eius exordio vſq; ad ſententiam incluſiue diuidi poteſt in tres partes, nempe in offenſiuũ, Defenſiuum, & Sententiatiuum, iuxta quam diuiſionem hoc opuſculum ſecabimus in tres Sectiones.

SECTIO PRIMA
De forma Proceſſus Offenſiui.

2 IN Proceſſu offenſiuo ſic dicto ex parte rei, ſeu informatiuo ex parte iudicis, qui informatur ex depoſitione teſtium, ſex actus ſpectantur, quorum *primus eſt* exordium, in quo exprimitur nomen Chriſti, à quo omnis noſtra actio incipit, & regulanda eſt, tempus pariter; & locus in eo exprimendus eſt. *In ſecundo actu* exprimitur nomen iudicis cum omnibus ſuis qualitatibus conferentibus ad iudicium, intendentis facere iuſtitiam.
3 tiam. *In tertio* exprimitur nominatio, & electio Notarij, qui & Actuarius dicitur, cui

 fides,

fides, eſt adhibenda, & iurat de fidelitate, in quantum opus eſt. *In quarto* à querelante exponitur querela, facta vel à fiſcali, vel alio denũtiatore, aut ab accuſatore in cauſa propria *In quinto* eſt viſitatio corporis delicti relinquentis poſt ſe veſtigiũ, & effectum; ſeu probatio rei ſublatę, quatenus extabat apud ſuũ patronum, vel cuſtodẽ, antequã eſſet ablata. *Sexto* demũ eſt depoſitio teſtium productorũ à querelante. Sic autem formatur proceſſus.

Forma proceſſus coram iudice Ordinario contra certam perſonam.

4 IN nomine Chriſti, Amẽ. Anno à Natiuitate eiuſdẽ 1661. die N. menſis N. cęptus fuit iſte proceſſus in Conuentu Ordinis S.N. contra F. N. N. eiuſdem Ordinis profeſſum.

5 Quoniam ad aures Reuer. P. Magiſtri N.N. Generalis eiuſdem Ordinis, ex relatione perſonarum fide dignarum peruenit, qualiter F. N.N. in hoc eodem Conuentu grauiter vulnerauerit F.N N. ambos eiuſdem Ordinis, idcirco, cum vnicuiq; iuſtitia ſit miniſtranda, ne delicta remaneãt impunita vocauit me F. N. N. & elegit in Notarium, & Actuarium iuratum ad ſcribendum, & conficiendum præſentem proceſſum, prout promiſi iureiurãdo me fideliter in & exarando, proteſtando, prout in his ſcriptis proteſtatur, & ſe declarat,

rat,

ſat, velle in hac cauſa procedere, apicibus iuris poſtpoſitis, ſola veritate inſpecta.

7 Nota *primo* illa verba: *In nomine Chriſti*. non eſſe de ſubſtantia valoris proceſſus, vt conſtat ex alijs formularijs, dum eam omittunt; decet tamen omnes, maxime religioſos in omni actione inuocare nomen Domi-
8 ni. *Secundo*, Nec eſſe neceſſarium requirere iuramentum fidelitatis ab Actuario, ſeu Notario electo, vt probaui cap. 82. num. 60. Peyrin. ad conſt. 9. Pij V. num 6. petit in eo iuramentum fidelitatis, Portell. 11. Notarius, Donatus par.4.tract.4. q.3. n.9. & 10. *Tertio* illa verba *Ad aures peruenit ex relatione perſonarum fide dignarum*, ſufficienter probare, ipſum iudicem in cauſa procedere ex præuia infamia, ex allegatis de B[?]ctis q. 13 n. 11. Ego autē probaui cap. 99. n. 20. poſſe iudicē procedere ſine pręuia infamia. *Quarto* querela proponenda eſt vel à fiſcali, vbi eſt in vſu, vel ab alio denuntiatore, vel ab accuſatore offenſo. Actuarius autem ſic proſequetur formalia verba quærelantis.

Comparuit coram Domino eodem ſupradicto die F. N. N. eiuſdem Ordinis profeſſus, qui querelam primum verbaliter dixit rogando Dominum, vt eam dignaretur acceptare, quam acceptauit præmiſſis debitis monitionibus in his ſcriptis, prius requiſitus ſuper iuramento calumniæ, tacto pectore(ſi eſt

 Sa-

10 Sacerdos ; vel non) tactis Sacris Scripturis, iurauit ſe dicturum veritatem, ſine animo calumniandi proximum, motus ad id faciendum, non ex odio, ſed ex zelo iuſtitiæ, depoſuit autem ſuam querelam his verbis.

Padre Reuerendiſs. &c. li teſtimonij ſono, &c,

11 Finita autem expoſitione querelæ, quærat Dominus ætatem, profeſſionem, & cętera, ſi non dixit initio, & deinde dimittat relecta eidem eius depoſitione, & faciat illum ſubſcribere, & ſi neſciat faciat Crucem. Actuarius autem vtatur his verbis.

12 Finita expoſitione querelæ interrogatus fuit à Domino, an velit aliud dicere; reſpondit ſe aliud neſcire, & eidem relecta depoſitione dimiſſus fuit cum ſubſcriptione, querela acceptata, ſi, & in quantum, &c.

Io F. N. confermo quanto di ſopra.

13 Nota, quod iudex ſiue ordinarius, ſiue delegatus, ſolet appellari *Dominus* ad euitandam circumlocutionem verborum, & ad rem, nam Paulus 1. Corinth. 4. 5. iudicem appellat *Dominū* illis verbis: *Qui autem iudicat me, Dominus eſt* quibus, & nos vtemur.

14 Dominus autem his auditis, & acceptatis decreuit viſitare corpus delicti, vnde ſe contulit ad Cellam F. N. N. vulnerati, & ægrotantis, atq; illum viſitauit in ſequenté modū.

15 Viſum, & repertum die N. N. per Dominum, qualiter in cella N. iacebat in lecto

F. N.

F. N. N. vulneratus duobus vulneribus, vnus ex illis erat infixum in bracchio dextro prope manum, alterum in dorſo dextero, ambo autem apparebant ferro cęſa longitudinis duorum digitorum. Hæc viſa fuerunt à Domino, & à me Actuario proprijs oculis.

16 Nota hic primo, quod ſi inueniuntur arma gladius inſtrumenta, & alia debent in actis regiſtrari cum accidẽtibus, & ita indiuiduari, vt appareant ab alijs diuerſa. Vnde Actuarius proſequitur proceſſum ſimilibus verbis.

17 Hic à F N.N. præſentatus fuit gladius nuncupatus N. viſus palmorum N. in longitudinem, habens manicum oſſeum nigri coloris, & recognitum ab vulnerato Dominus mandauit cuſtodiri per me Actuarium.

18 Nota ſecũdo, quod ſi Dominus eſt impeditus, poteſt viſitationem corporis delicti alteri committere, adijciendo duos teſtes, Actuario ſcribente in proceſſum viſum, his verbis.

19 Dominus mandauit, & præſenti præcepto in his ſcriptis mandat N. vna mecum viſitare corpus delicti. Itaque per ſupradictum N. viſum, & repertum fuit, præſentib. his teſtibus N. N. & N. N. vocatis, qualiter in cella N. iacebat, &c. *vt ſupra ſubdat in fine* Hæc viſa fuerunt à ſupradictis, & à me Actuario ſcribente hæc, prædictis ſubſcribentibus.

Ego N. N. deputatus vidi corpus delicti.

Ego N. teſtis vocatus interfui viſitationi.

Ego N. teſtis, &c.

20 Nota autem, quod non eſt neceſſe, vt Dominus interroget prędictos ſuper viſitatione corporis delicti, dum apparet in proceſſu actus viſitationis cũ ſubſcrip. ſed ſufficit, quod viſũ Dñs. approbet ex actis proceſſus his verb.

21 Dominus monitus per me Actuarium, qualiter expedita eſt viſitatio corporis delicti iuxta illius mandatum, ideo eam per me ſibi lectam approbauit in hoc proceſſu eadẽ die.

22 In caſu, quo offenſus ipſe querelat, & non fiſcalis, qualis poteſt eſſe etiam ſuperior conuentus, qui quaſi fiſcalis denuntiat delicta in ſuo conuentu facta, Spathar. tract. 5. cap. 2. num. 4. & cap. 4. num. 2. & 3 tunc ſimul, & ſemel accipit querelam ab eodem offenſo, & vulnera, & ſigna videt, & facit ſcribere ab Actuario, vt ſupra.

23 In furtis quoq; viſitatur corpus delicti conſiſtentis in fractura cameræ, capſæ, vel alterius armarij, in quo recludebatur res furto ſublata, & in quolibet alio inſtrumento, quo furtum fuit factum. Propoſita ergo querela, Dominus debet viſitare fracturam, & locum in quo delictum furti factum fuit, & Actuarius poſt ſcriptam querelam ſic proſequi poteſt acta viſitationis corporis delicti.

24 Dominus accepta ſupradicta querela de furto cum fractura, & alijs inſtrumentis, &c. volens ſe de illis certificare acceſsit ad locum,

cum, vbi factum fuit, & proprijs oculis vidit capſam,in qua cuſtodiebatur N.fractā ſic, & ſic,&c.prout hic deſcribūtur de eius mādato

25 Si in Sacriſtia factum ſit furtum, comparebit ſuperior loci vti fiſcalis, & procurator bonorum ſui Monaſterij, & denuntiabit hoc modo ſcribente Actuario.

26 Comparuit hac die N. menſis N. anni N. Pater F. N. vti Prior Conuentus N. & narrauit exponendo, qualiter per inuentarium conſignauerat Sacram ſupellectilem Sacriſtiæ F. N. N. & dum illud incontrauit ad eius præſentiam coram alijs Fratribus, venit cum illis in cognitionem, non nulla de eſſe, vnde ne Sacriſtia ex hoc patiatur detrimentum, ſed eius indemnitati conſulatur, dictus prior nomine ſui officij præſentat Domino inuentarium, & eius incontrationem ſubſcripta per ipſum Sacriſtam, & teſtes idoneos, enixe petendo, vt damnum illatum Sacriſtiæ reficiatur, & depredator puniatur in exemplum aliorum.

27 Dominus audita de petitione ſibi facta à P. Priore, vt ſupra, acceptauit eam cum dictis inuentario, & incontratione, & vtrunq; recognouit cum ſuis ſubſcriptionibus eſſe tale, quale ſe præſefert, atq; ea pro legitimis acceptauit mandando mihi, vt ea hic inſererem, prout inſerui ſub his ſignis A. B.

28 Nota autem, quod non eſt neceſſarium te-

ſtes examinare ſubſcriptos in illis, dum ſufficit eorũ ſcripturar. recognitio facta à Domino, qui habet eas pro veris, vt sũt à parte rei.
29 Inſtrumenta autem, de quibus ſupra, ad ſurandum adhibita recognoſcenda ſunt, & regiſtranda in actis, deſignando, deſcribendo illa, & indiuiduando ſimilibus verbis.
30 Hic repreſentata fuit Scala longitudinis cubitorum octo, conſtans ex ſexdecim gradibus arboris populeæ, quam viſam Dominus conſignauit N. vt eam cuſtodiret.
31 Nota autem, quod non ſufficit probare corpus delicti, iuxta ſuperius dicta, ſed vlterius probanda eſt exiſtentia rei furatæ ante furationem in loco, à quo fuit ſublata priuatio enim ſupponit habitum, quod fieri poteſt, vel per productionẽ inuentarij, vt ſupra fuit dictum, vel per teſtes, qui viderant rẽ in loco extitiſſe ante furationem. *Farinac. q. 2. n. 19. Fuzin. Defenſ. 4. cap. 7. n. 3.* Signũ ergo, & exiſtentia rei domini, ſeu cuſtodis conſtituunt corpus delicti, his prob. deuenitur ad probationẽ ipſius delicti, quod furtũ dicitur.
32 Nota, quod furtum habentis adminiſtrationem ſic nõ vocatur, ſed alio nomine apud Eccleſiaſticos, nempe dilapidatio, alienatio, & diſtractio rerum mobilium, ad eos cohoneſtando, ex cap 2. de ſtatu Monach. nihilominus tamquam fures, & latrones ſunt puniendi, cap. fin. & q. 2.

33 Poſita igitur querela, probatione corporis delicti, & etiam exiſtentiæ rei poſtea furatæ, Dominus vlterius procedere debet examinando teſtes, interrogando à longe, & in genere, ſine ſuggeſtiuis interrogationibus prohibitis, Farinac q.83. à n..84. deueniẽdo paulatim à genere ad ſpeciem, hoc eſt, ad perſonam delinquentem, itaut teſtis illam diſcooperiat per ſe, & nõ à Domino ſuggeratur illi

34 Non eſt neceſſe incipere ab ea interrogatione, an teſtis ſciat cauſam ſuæ vocationis ſed Dominus initium capere poteſt ab hac interrogatione: An adſit aliquod ſcandalum in Conuentu, an ad extra, ſi querela referatur ad vtrumq; vel ad vnum tantum.

35 Neque eſt neceſſarium formaliter citare teſtes religioſos, immo nec ſeculares volentes ſe ſponte ſubijcere examini, ſed ſufficit ſimplex vocatio, etiam ſine licentia ſui ſuperioris, Spathar tract.7.cap.3.n.5.ex Rodriq 2.q. 11. art. 5. Tamen ad euitandas altercationes cũ defenſore rei, petatur licentia à ſuperiore teſtis ſecularis. Not. proſequetur proceſs ſic.

36 Vocatus fuit die 4. Iulij 1661. F. N. N. de Familia in hoc Cõuentu, de quo initio, tribus ab hinc annis, ſacerdos annorum N, profeſſionis N teſtis requiſitus ad iurandum, iurauit tacto pectore ſe veritatem dicturum ſuper omnibus interrogationibus opportune ſibi faciendis à Domino.

Interrogatus, an in Conuentu acciderit ali. quod ſcandalum?

Reſp. Il giorno del giouedì graſſo, che fù, &c.

37 Prædicta mox ſeruentur reſpectu aliorum teſtium mutatis mutandis. Et in fine interrogationum ſuper duobus poterit vlterius interrogari, primo, an velit aliquid aliud dicere in ea cauſa? An ſciat, alios notitiam habere de hoc delicto, & de illius auctore, maxime tunc eſt interrogandus, quando deſunt teſtes.

38 Finitis interrogationibus teſtis, relegantur ei eius reſponſiones, quas ſubſcribat dimittédus cum præcepto ſeruandi ſilentim ſuper depoſitis. Examen autem ſic terminatur.

39 Relectum fuit eidem examen, quod confirmauit ſua ſubſcriptione, quibus habitis, & acceptatis, ſi, & in quantum & c. Dominus illum dimiſit cum precepto ſanctę obedientię, ſeruandi ſilentium.

Io F. N. confermo quanto hò detto di ſopra.

Ignorans ſcribere, vt dixit formauit hanc crucem ✠ præfatus N. teſtis.

40 In caſu autem, quo teſtis in relectione examinis ſe declarauit, vel correxit, addendo, vel detrahendo, quod facere poteſt, antequam exeat à conſpectu iudicis, id in actis conſtare debet ſimilibus verbis.

41 Dictus teſtis, cui fuit examen relectum ſe correxit hoc modo videlicet, &c.

Do-

42 Dominus eundem modum ſeruare debet in examinandis alijs teſtibus, vt dixi ſupra.

43 Hæc autem forma pro iudice ordinario ſeruire poteſt contra particularem perſonam, quouis modo procedatur, ſiue per denuntiationem, ſiue per accuſationem, cum quis propriam proſequitur cauſam.

Forma Proceſſus offenſiui iudicis delegati contra certam perſonam.

44 IN formatione proceſſus conficiendi per iudicem delegatum eodem modo procedendum eſt, quo in ſuperioribus dictum fuit, exiſtente differentia in eo, quod conſtare debet in actis de literis patentibus iudicis delegati, & ſecundum earum tenorem procedere debet, alias nulliter agit, excedendo fines mandati. Formatur autem ſic.

45 In nomine Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem 1661. die N. menſis N. cęptus fuit iſte proceſſus in conuentu N. N Fratrum Ordinis N. contra F. N.N. eiuſdem Ordinis profeſſum.

46 Admodum Reuer. P. Magiſter N N. eiuſdem Ordinis, vti iudex delegatus intendens, & volens exequi mandata Reuer. Patris Generalis in ſequenti cauſa, de qua in eius patentibus literis, & in forma probante exhibitis, & productis ſupradicta die tenoris ſe-

quentis, ſub ſigno D. per me Notarium, & Actuarium huius proceſſus ab ipſo electum, cui promiſi cum iuramento fidelitatem, & ſecretudinem in hac cauſa, lectis, & regiſtratis, & volens iuſtitiam miniſtrare, ne delicta remaneant impunita, hunc proceſſum inchoauit prout de iure, &c. & omni meliori modo, &c.

47 Iudex autem proſequitur ſuum proceſſum acceptando querelam, viſitando corpus delicti, examinando teſtes, & cætera præſtando, quæ in precedentibus notauimus, hic non repetenda, ne opuſculum excreſcat nimis. Subijcio hic literas delegationis.

F. Antonius N. N. &c.

48 Cum ad aures noſtras ex relatione perſonarum fide dignarum peruenerit, qualiter F. N. N. commiſerit delictum N. quod non expedit remanere impunitum, ideo huic malo remedium adhibere cupientes, cui nos pro nunc occurrere non poſſumus alijs negotijs occupati, tenore præſentium hanc cauſã Tibi ſupradicto N. N. in cuius prudentia, & integritate multum confidimus delegamus cum facultate fabricandi proceſſum, teſtes etiam ſeculares, & clericos examinandi, & cogendi, ſi opus fuerit auctoritate, & licentia eorum ſuperiorum, vtendo etiam bracchio ſeculari, & cætera præſtandi, quæ conducunt ad expeditionem huius cauſæ, &

incidentium, conſtituendi, & examinandi reum, & complices, ſi qui erunt, & demum ſententiam ferendi ſecundum allegata, & probata, poſtpoſitis apicibus iuris, & ſola veritate inſpecta. Reſeruantes nobis facultatem pœnas augendi, minuendi, commutandi, moderandi, & relaxandi, quatenus opus erit, & iuſtitia exigente. Datum, &c.

49 Nota, quod ſicut proceſſus diuiditur in tres partes, ita & ſuperior delegare poteſt vnam ſine alia e. g. vt delegatus ſumat tantum informationes, quæ conſiſtunt in proceſſu offenſiuo. Vel quod vlterius procedat etiam ad examen rei, dando ei etiam defenſiones, quod eſt ſecunda pars proceſſus, & tunc vlterius procedere non poteſt ad ſententiam, & terminare proceſſum. In præfatis literis prædicta tria delegantur, vt patet ex eorum tenore. Delegatus igitur in primis legat bene literas, vt ſciat quid agere debeat, aliter agens nihil facit, & fruſtra laborat.

Forma proceſſus offenſiui contra incertam perſonam ex certo delicto.

50 QVando conſtat de delicto commiſſo, & ignoratur illius auctor, ſic poterit inchoari proceſſus à denunciatione facti, & viſitatione corporis delicti.

51 In nomine Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate

uitate

uitate eiuſdem 1662. die N. menſis N. cæptus fuit iſte proceſſus in Conuentu N. Ordinis N. ſuper tali delicto N. cuius auctor ignoratur inueſtigandus tamen per ſequentem inquiſitionem.

52 *Quoniam ad aures noſtras, &c.* ſupra ſub num. 5. hac vtatur forma, ſi iudex eſt ordinarius; vel ſequenti ſub num. 46. ſi eſt delegatus, mutatis mutandis. Subſequenter viſitet corpus delicti; deinde quærat auctorem delicti per teſtes examinando omnes religioſos, & alios, qui veriſimiliter poſſunt ſcire delinquentem, interrogando ſingulos, an ſciant, alios habere notitiam eius, qui delictum commiſit. Si ex teſtium examine iudex non poteſt deuenire in cognitionem auctoris delicti, vlterius non procedat, ſed ſuperſedeat cauſæ, reſeruata ſibi facultate in ea procedendi, ſi deinceps indicia ſibi ſubminiſtrabuntur, faciendo id regiſtrare in actis, his verbis.

53 Quoniam ex actis hactenus deductis ex depoſitione teſtium Dominus non potuit deuenire in cognitionem maleſactoris huius delicti, de quo in actis, pro nunc ſuperſedet huic cauſæ. cum animo eam proſequendi, quandocunq; eidem indicia, & probationes fuerint ſubminiſtrata, vt proteſtatus fuit in his ſcriptis.

For-

Forma proceſſus offenſiui contra certam perſonam denunciatam in viſitatione Generali Conuentus.

54 QVando in viſitatione, quam ſuperiores ſolent facere, aliquis denuciatur de aliquo graui crimine, quod ad punitionem delinquentis exigit proceſſum, cum de iure canonico non exigatur iuramentum ab examinatis, cap. Romana, §. Sane de cenſib. ideo neceſſe eſt formare ſpecialem proceſſum, deſcendendo ab inquiſitione generali ad ſpecialem; pro qua datur ſequens forma.

55 In nomine Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem 166 . die 7. Septembris, cæptus fuit iſte proceſſus in Conuentu N. N. Ordinis N. contra F. N. denuntiatum in viſitatione habita in eodem Conuentu die prima Septembris prefati anni, quod pluries commiſerit adulterium, prout infra patebit.

56 Admodum Reuer. Pater Magiſter F. N. Prouincialis eiuſdem Ordinis in Prouincia N. volens procedere in hac cauſa denuntiationis adulterij contra prefatum N. prout debitum officij ſui exigit, me F. N. eius ſecretarium ex officio vocauit, & elegit in Actuarium, & Notarium, preſtito ei iuramento fidelitatis, & ſecreti, ad conficiendum præſentem proceſſum, prout ſequitur.

57 Vocatus fuit F. N qui in viſitatione depoſuerat F. N. pluries adulterium commiſiſſe cum N. N. exiſtens hic de familia pluribus ab hinc annis, ætatis annorum N profeſſionis N. qui requiſitus ſuper iuramento calumniæ iurauit, &c. ſe veritatem dicturum, &c.

58 Interrog. vt dicat quicquid depoſuerat in viſitatione facta N.

Reſp. Padre io diſſi nella viſita paſſata, come F. N. haueua commeſſo con vna donna maritata, che ſi chiama N molte volte adulterio, perche è più di duoi anni; che con lei prattica, frequentando la ſua caſa con gran ſcandalo, &c.

59 Interrogetur, in qua domo habitat; & quinam illius cognitionem habent ſuper frequentatione domus. Finitis interrogationibus dimittatur his verbis cum ſubſcriptione.

60 Quibus habitis, & quo ad partem fauorabilem acceptatis relectæ ei fuerunt depoſitiones, quas ſubſcripſit dimiſſus à Domino cum precepto ſilentij.

Io F. N. confermo, quanto hò detto di ſopra.

61 Nota quod nulla copula carnalis admittit viſitationem corporis delicti, niſi aliquod relinquat ſignum fracturæ vaſis, aut tumeſcentem ventrem; probanda tamen eſt exiſtentia matrimonij in ordine ad punitionem.

Si

62 Si plures depoſuerint in viſitatione, debilior aſſumatur pro denuntiatore, & alij ſint in teſtes, ex Philippo de Bictis Capuc. in prima praxi Inquiſ. num. 12.

63 In cauſis, in quibus tangitur fama proximi, vt in adulterijs, quantum eſt poſſibile, non adhibeantur teſtes extranei, ne detur occaſio maioris mali, ſed religioſus ablegetur à loco.

64 Si Viſitator vſus fuit iuramento, ſine nouo proceſſu poteſt punire delinquentem probatum talem per legitimos teſtes conteſtes, viſitationes enim fiunt in ordine ad punitionem. Vide cap. 3. à num. 57. ad 61.

65 Vnum valde notabile iudex obſeruare debet, quod non poteſt, nec debet, extra viſitationem recipere querelam contra certam perſonam, niſi præter querelantem adſit ad minus vnus teſtis idoneus, aut indicia plura remota, vel vnum proximum, & indubitatum, quod det ius Domino ad legitimam interrogationem. Vide cap. 3. num. 26.

Forma proceſſus, quo impeditur querelatus à promotione officij.

66 Certum eſt, quod opinio querelati valde grauatur probata ſaltem vnico teſte integro, ita quod euadit inhabilis ad promotionem alicuius dignitatis, & officij honori-

norifici, Barb. ad cap. Omnipotens 4. de accuſat. de Angelis Carmel cap. 25. num. 5. ego cap. 91. num. 29. Proceſſus autem ſic poteſt formari.

67 In Chriſti nomine, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem 1660. die 8. Iulij in Monaſterio S. Antonij Ordinis N. cæptus fuit proceſſus exceptorius contra D. N. N. ad effectum, ne ille poſſet promoueri ad Abbatiam N. quam prætendit.

68 Comparuit eodem die coram Reuer. N. N. Abbate Generali, & me D. N. N ex officio Secretario, F. N. N. qui cum ſuo iuramento expoſuit, & depoſuit his verbis: Padre Reuerendiſſimo è commune voce, e fama, che D. N. N. d'eſſere eletto Abbate, per tanto fò inſtanza à V. P. R. come coſtui è inhabile, & indegno di queſta dignità, perche ſpeſſe volte s'imbriaca, & anco al più delle volte parla dishoneſtamente, & di queſti ſuoi errori ne faranno teſtimonianza D. N. N. &c.

69 Dominus dictam querelam exceptiuam acceptauit, ſi, & in quantum, mandando excipienti querelanti, vt ſe ſubſcriberet.

Io D. Deſiderio confermo quanto hò depoſto quì.

70 Sufficit autem Domino vnum, vel alterum teſtem omni exceptione maiorem, vt dixi hic initio, vt repelli poſſit prætenſor. Quod ſi ſuperior non vult procedere in cauſa, poteſt

teſt monere pretenſorem, ne vltra quærat pro tunc dignitatem, ſi nolit acquieſcere cõſilio, deueniatur ad examen teſtium, & contra eum, cuius crimen eſt probatum, feratur ſententia, ne valeat vlterius prætendere, cum ſit declaratus inhabilis.

Licentia examinandi Religioſum extra Ordinem.

QVamuis valeat teſtimonium extra de ſe, tamen à reo excipi poteſt defectus licentiæ quæ danda eſt à ſuperiore, Sanch. lib.6. cap.13. num.103. & 108. Generali, vel Prouinciali, Peyrin. in Formul. lit. T. num 3. Intellige ex conſtitutionibus, aliter eas dat etiam ſuperior localis. Forma ſequitur.

Nos infraſcriptus Prior Conuentus N. N. Ordinis N. requiſitus à N. N ad examinari faciẽdum pro veritate in cauſa licet criminali, non tamen pænæ corporalis, ſed pecuniariæ, in qua agitur de offenſa facta religioſo N. & religioni noſtræ, nec veritas ab aliis haberi poteſt, Fratrem N. N. & Fratrem N. N. &c. contra N. N. coram Illuſt. D. N. Iudice ſeculari concedimus licentiam vobis ſupradictis deponendi veritatem, & ſubeundi examen coram ſupradicto N. N. iudice ſeculari, præmiſſo iuramento in manibus noſtris more ſacerdotali, quibus vobis delatum per

nos

nos præſentibus fidem facimus dicto Domino Iudici. In quorum fidem. Datum, &c.

Ego Frater N. N. Prior Generalis,

SECTIO SECVNDA

De Forma Proceſſus defenſiui.

71 FAbricato proceſſu offenſiuo, & informatiuo, ſi ad minus delictum ſit ſemiplene probatum, vel per vnum teſtem omni exceptione maiorem, vel per indicia inducentia ſemiplenam probationem Pitigianus in ſua Practica in 3. ſubſt. cap. 1. fol. 157. Genuenſ. cap. 27. num. 4. Clarus q. 28. ego cap. 66. q. 2. tunc reus carceretur de mandato iudicis, ſcribente Notario decretum carcerationis ſub his verbis.

72 Cum Dominus diligenter conſiderauerit ea, quæ ex proceſſu informatiuo deducuntur, nempe F. N. querelatum eſſe legitime indiciatum, quod commiſerit delictum N. ſuper quo fuit querelatus, volens iuridice in cauſa procedere, mandauit, & mandat preſenti decreto, dictum F. N. arreſtari, & in carcerem detrudi ad omnem bonum finem, & effectum, &c. prout fuit captus, & in carcerem poſitus cuſtodi fuit conſignatus hac die N. Ita eſt F. N. Actuarius.

In

73 In caſu, quo fuga querelati probabiliter timeatur detur foras à Domino mandatum capturæ in hæc verba.

74 Dominus hac die N. preſenti decreto mandauit, capi, & incarcerari F. N. de cuius fuga rationabiliter timebatur, qui proptérea coniectus fuit in carcerem, vt ibi detineretur ad cuſtodiam.

Ita eſt F. N. Actuarius.

75 Facto decreto de reo capiendo, iudex per ſe, vel alium mittet ſuum Notarium ad Cellam querelati, coram quo cum duobus teſtibus viſitabit perſonam, & eius Cellam, notando diſtincte inuenta ibidem, ſemper eodem præſente, & poſtmodum ducetur ad carceres, ſubſcripta viſitatione, Notarius in proceſſu ſic notabit.

Dominus die N. præcepit exequi mandatum capturæ, & acceſſit cum me Notario, & duobus teſtibus N. N. & N. N. ad cellam F. N. vbi inuenit eum ligatum, & coram eo facta fuit ſtatim viſitatio, apud ipſum inuenta fuit arma noncupata Piſtola, & in capſula quadam gladiolus nuncupatus Pugnaleto, quæ mihi coram teſtibus prædictis fuerunt conſignata de mandato Domini.

Ita eſt F. N. Notarius.

F. N. teſtis vocatus.

F. N. teſtis vocatus.

76 Iudex viſo proceſſu informatiuo, & bene

illo

illo inſpecto oculo mentis ſuæ; præparat interrogationes reo faciendas, & ſtatuto die, vocare facit illum ante ſe conſtituendo, ſcribit autem Notarius ſic.

77 De mandato Domini hac die N. citatus fuit F, N, N. ex carceribus eductus, & corã eo perſonaliter reus conſtitutus (*ſi in cauſa appareat de complicibus dicatur*) principalis quo ad ſe, & teſtis quo ad alios (*aliter hæc verba Principalis, &c. omittantur*) ætatis ſuæ annorum 40. religionis 10 & ei Dominus declarauit ſtatũ cauſæ ſuæ in genere, nempe quod in actis habentur ea, quæ requiruntur ad eum iuridice interrogandum, monuitq; illum, vt veritatem in omnibus diceret, ne incideret in mendacium, & periurium, lædendo animam ſuam, & ab eodem requiſitus de iuramento dicendæ veritatis, iurauit tacto pectore (*ſi eſt ſacerdos*) ſe veritatem dicturum, prout infra.

78 Interrogationes autem ſint opportunę, non ſuggeſtiuæ, & à longe inchoentur, vt paulatim deueniatur ad confeſſionem delicti, & ei detur libertas loquendi quæcunq, vult, vt ſi perſiſtat in negatiua poſſit in alijs conſtitutis redargui, & reduci ad contradictoria, vt confuſus cogatur fateri veritatem. Dominus videns eius obſtinationem ſæpius moneat ſimilibus verbis à Notario regiſtrãdis,

Domi-

79 Dominus monuit conſtitutum, vt recederet à mendacijs, & periurijs, dicendo veritatem, quia in actis conſtat, eum delictum N. commiſiſſe.

80 Notarius autem in ſcriptis redigat non ſolum eius formalia verba, ſed etiam geſtus, mutationes faciei, ſuſpiria, ex quibus, & alijs ſignis deprehenditur inconſtantia rei.

81 Finitis interrogationibus, quæ Domino pro tunc videntur ſufficere, dimittatur conſtitutus cum proteſtatione, & animo proſequendi, & continuandi examen, vt inducatur ad dicendam veritatem, dimiſſio autem ſic formatur.

82 Relectum examen confirmauit, & remiſſus fuit ad carceres animo continuandi examen.

83 Quando reus habet manicas ferreas impeditur ſcribere, ſolent enim rei conduci corã iudice manibus conſtrictis; ne occaſionem habeant ex earum libertate, vel fugiendi, vel inſultandi. Sufficit ergo, quod in fine omnium examinum ſubſcribat, licet nec hoc ſit neceſſarium, cum credendum ſit Notario, & Actuario, qui nec ſubſcribit ſingulos actus, ſufficit enim quod in fine ſubſcribat, Ludouiſ. deciſ. 368. fine.

84 Quoniam reus in negatiua perſiſtens pluries interrogari poteſt, vt ab eo aliquo modo veritas erui poſſit, ſequitur forma ſecundo, & pluries conſtituendi illum,

Vo-

85 Vocatus, & è carceribus eductus hac die N. ad locum ſolitum examinis F. N. coram Domino iterum conſtitutus perſonaliter, & requiſitus cum iuramento dicere veritatem, iurauit, &c.

86 Hæc formula ſeruit pro omnibus alijs conſtitutis ſucceſſiue faciendis. Animaduertens vero ſe tempus in examine perdere, agendo cum reo duræ ceruicis, & modicæ conſcientiæ, comminabitur ei tormenta ex improuiſo, & ſtatim faciet illum deducere ad locum tormentorum, vt eorum metu fateatur veritatem, & ſi nihilominus perſiſtat in ſua obſtinatione, ligetur, & eleuetur. Dico *ſtatim* ne ex dilatione temporis habeat occaſionem appellandi à tortura, debent ergo decretum torturæ, & eius executio eodem ſimultaneo contextu fieri ad euitandam appellationem; Ambroſ. lib. 3. cap. 1. num. 26. de Bictis in Praxi 4. num. 56. quæ admittenda non eſt, dum decretum palam non fuit propoſitum.

87 Vltimo igitur conſtitutus in examine nolens Dominus vltra procedere deueniet ad torturam, ſi habuerit indicia ſufficientia ad eam inferendam, nimirum ſemiplenam probationem, Spathar. tract. 9. cap. 20. num 3. Compend. Rodriq. reſol. 45. num. 2. Poſitis nonnullis interrogationibus, taudem Notarius referat monitionam à Domino facta

his

his verbis.

88 Monitus tandem benigne à Domino ad fatendum veritatem, & che non aſpetti, per hauer queſta verità, ſi venghi contro di lui alli opportuni rimedij iuris, & facti, come ſi venirà, ſe non ſi riſolue di dire la verità.

Reſp. Hò detto la verità, ſe mi vuole dar tormenti, mi farà torto, perche non hò errato.

89 Tunc Dominus viſa illius pertinacia, & obſtinatione, ex conſideratione indiciorum ſciens ſe habere ius ſufficiens ad ſubijciendum præfatum reum conſtitutum torturæ, fecit duci ad locum tormentorum, & ibi expoliatum ligare, & id ſine præiudicio probatorum, conuictorum, & confeſſatorum, ſuper quibus non intendit illum torquere; ſed tantum ſuper ſemiplene prçciſe probatis, antequam autem eleuaretur monitus à Domino, vt diceret veritatem.

Reſpondit: quello, che hò detto è verità, e non hò commeſſo tal delitto. Iuſſit Dominus eleuari, & manere ita eleuatum per ſemi horam. Poſt puſillum cæpit conqueri clamando, deponetemi, che dirò la verità. Mandauit Dominus, vt eam diceret in tormentis, & ſtatim deponeretur.

Reſp. Io hò commeſſo l'homicidio. Statim depoſitus fuit, & reductus ad carcerem, &c.

90 Nota, quod tortura non debet repeti, niſi in grauiſſimis delictis, continuari tamen, & di-

& diuidi ſpatium deſignatum, quod tamen exprimendum eſt à Domino cum clauſula *Animo continuandi cęptum tormentum*, vt accidit, cum tortus labitur in ſincopem, & frigeſit, & ex alijs cauſis inſidentibus, Viccius deciſ. 143. fine Cartar. in prac. interrog. reor. lib. 4. cap. 1. num. 116.

91 Confeſſio autem facta in tortura nihil valet, niſi ratificetur ſequenti die, Farinac. q. 83. num. 67. quod Notarius ſic ſcribet.

92 Vocatus fuit die N. ſequenti poſt torturam F. N. N. reus conſtitutus, & à Domino interrogatus, an velit ratificare confeſſionem in tormentis factam, qui reſpondit Padre sì, che la voglio ratificare, & dico, che è vero, che io hò amazzato, &c. ſubſcripſit.

93 Ratificata confeſſione adhuc illi ſunt offerendæ defenſiones, tradenda illi copia proceſſus, per quod dicitur proceſſus publicari; ſi autem eis renuntiet remittendo ſe benignitati iudicis, nihil aliud remaneat, quam in cauſa concludere, & deuenire ad ſententiam. Notarius autem ſcribet decretũ de oblatis, & renũtiatis defenſionibus hoc modo.

94 Dominus die N. obtulit copiam proceſſus F. N. reo conſtituto ad ſe defendendum, qui oblatione bene conſiderata, libere, & voluntarie renuntiauit defenſionibus, dicendo ſe illis non indigere, quia delictum confeſſum reuera perpetrauit, de quo ſe valde

dolet,

doleт; remittendo ſe benignitati iudicis, qui omnia, & ſingula acceptauit, ſi, & in quantum, &c. mandanit, vt ſe ſubſcriberet.

95 Cum reus ſciens ſe læſam habere conſcientiam renuntiauerit defenſionibus, ſupereſt, quod iudex concludat in cauſa, faciendo decretum, cauſam de qua in proceſſu habendam eſſe pro concluſa, licet hoc ſit de apicibus tantum viris, ex Maranta par. 6. Act. 15. num. 9. ſic autē ſcribat Notarius. Antequā ferat ſententiam expectet aliquos dies.

96 Dominus attentis in proceſſu tam offenſiuo, quam defenſiuo per partes productis hinc inde, & defenſionibus renuntiatis per reum, de quo in actis tenore præſentium decernit præſentem cauſam eſſe habendam pro concluſa, prout ipſemet Dominus habet hac die N.

97 Notandum primo in cauſa furti, quandoq; rem furatam, & instrumenta eſſe recognoſcenda per reum, vel etiam per teſtes, & emptores, an ſcilicet ſit illa numero res, in quo caſu plures res ſimiles ſimul præſentari, & atendi debent, vt eligatur, & decernatur ab alijs, aliter ſi ignoretur ſuſpecta eſt depoſitio. Debet etiam iudex reo oſtendere rem ablatam, vt eam recognoſcat, item ſcripturam, inuentarium, & eius generis. Sic autem ſcribat Notarius.

98 Dominus mandauit mihi Notario, vt oſten-

derem F. N. N. hic præſenti rem hanc N. ſimul cum alijs ſimilibus, qui hanc N. tetigit, & ſecreuit ab alijs, aſſerendo eſſe,&c. item recognouit hanc ſcripturam N ſibi demonſtratam, & dixit, eſſe propriam illius, quam ſua manu ſcripſerat, & ſubſcripſit.

99 Notandum ſecundo, quandoq; fieri confrontationem rei cum teſtibus, ſed hæc eſt, vt plurimum odioſa, & conuitioſa, ideo ſi alijs medijs haberi poteſt veritas omittatur; quod ſi expediat confrontatio, interrogetur reus negatiuus, an aliquem ex teſtibus habeat pro inimico, ſi reſpondeat habere omnes pro amicis, deuenire poterit ad confrontationem primo ei legendo depoſitiones eorum, ſi non erit ſufficienter redargutus, compareāt teſtes illum confundentes, vt velit, nolit, fateatur delictum. Formabitur autem ſic confrontatio à Notario.

100 Tunc Dominus ad ipſum magis redarguēdum, & cogendum ad dicendam veritatem, mandauit primo dicta teſtium, ſuppreſſis eorum nominibus, legi in faciem rei, Domino interrogante; quid dicis ad hæc? Reſp. ſe ne mente per la gola, io ſon huomo honorato. Redargutus fuit, ex quo dixit habere teſtes pro amicis, non eſt poſſibile, quod mentiantur contra amicum. Deinde videns Dominus nihil proficere noluit confrontationē perſonalem facere, ne iurgia ſequantur inter partes.

For-

Forma pro defenſionibus rei.

101 NOtandum eſt quod teſtes, vel repetendi ſunt, vel pro rite examinatis habendi ſunt à reo, antequam illi detur copia proceſſus, vnde iudex interroget illum, an velit, vt repetantur, vel habere eos pro rite repetitis, aliter eorum depoſitiones non valent, Farinac. q. 72. num. 94. Guazin. Defenſ. 24. cap. 9. loquendo de non regularibus, reſpectu enim horum id pertinet ad apices iuris, Petrus ab Angelis cap. 17. num. 6. ad 10. Rodr. 2. q. 18. art. 3. Lezana par. 1. cap. 27. num. 13. Portell. par. 1. caſu 20. num. 7 Forma petitionis, ſeu oblationis defenſionum eſt ſequens.

102 Dominus volens ad vlteriora procedere in cauſa petitas à F.N. reo defenſiones, mandauit mihi Actuario, vt illi traderem copiam proceſſus, qua poſſit ſe defendere, prout ſic illo mandante præſenti decreto obediui dando eidem reo copiam proceſſus. Qui Dominus ſubſequenter alio pariter decreto eidem reo nominauit pro procuratore, & aduocato in cauſa tres Patres, videlicet P.N. & P.N. atq; P.N. vnũ ex deſcriptis eligendũ, elegit autẽ P.N. aſſignando præfato reo, & Procuratori, ſpatium trium dierum ad ſe defendendum, hac die N.

In

103 In caſu, quo infra ſpatium aſſignatum non poſſint compleri defenſiones, dentur alij ex tres, vel plures iuxta exigentiam negotij, exprimendo vltimum terminum peremptorium, ne procedatur in infinitum. Procurator autem conſtitutus id per ſe petere poteſt pro reo, Notario ſcribente in actis ſic.

104 Pater Magiſter N. vti Defenſor, & Procurator F. N. N. comparuit coram Domino, & petijt ſibi prorogari terminum datum ad faciendas defenſiones, quas non potuit abſoluere intra tempus præfixum, ideo nunc inſtat omni meliori modo tempus ſibi prorogari. Qui Dominus petitione admiſſa ſi, &c. & in quantum, &c. terminum præfatum prorogando, conceſſit inſuper alios quatuor dies, ſe declarando nolle amplius tempus prorogatum obducere, & prolongare, omni meliori, &c. ſub die N.

105 Expeditis defenſionibus Procurator præſentabit iudici illas diſcutiendas, an reus reuera ſe defenderit, an non, quod raro accidit çum probationes ſiat generales non euidenter probationes ſpeciales, & vt plurimum album denigratur, & marſupium impletur. Præſentatio autem defenſionum exhibetur Notario in proceſſu ſcribente.

106 Comparuit die N. menſis N ſupradicti anni N. Procurator N. N. & eius nomine prçſentauit Domino defenſiones, quæ incipiũt.

Defen-

Defenſiones pro Fratrè Et finiunt in hæc verba: *Ego F. Defenſor , & Aduocatus*, inſtando pro earum admiſſione , & cauſæ expeditione fauore rei prætenſi . Qui Dominus eas admiſit , ſi , & in quantum, &c. mandauitq; mihi eaſdem defenſiones inſerere in actis , prout , &c. omni , &c.

107 Si defenſiones ſunt efficaces probantes innocentiam directe , quod rariſſime accidit , abſoluatur q̃relatus inique Si nihil ad propoſitum eſt probatum iudex deueniat ad ſententiam , iuxta quod dicam in tertia ſectione. Interim cõcludat in cauſa his verbis.

108 Dominus attentis probationibus per reum factis , ex quibus nihil reſultauit in eius fauorem,& pro eius elapſo tempore,decreuit, & præſentium tenore decernit præſentem cauſam habendam eſſe pro concluſa , prout ipſe Dominus declarat eſſe concluſam , & terminatam hac die N. N.

109 Non eſt neceſſe eam intimare reo , nec eius defenſori , cum ex terminatione temporis ab eis cognita ſint omnino certi quod in cauſa eſt concluſum , prærerquam quod eſt ea de apicibus iuris , ſicut & deinceps monere defenſorem ad ſententiam , cum ſolus reus ſit citandus ad illam audiendum vt dicam ſectione tertia .

Forma

Forma citandi reum abſentem.

110 SOlent delinquentes fugere, ad euitanda carceres, & pænas, formato igitur proceſſu offenſiuo, & informatiuo iudicis citandus eſt reus abſens ad comparendum, & allegandum cauſas propter quas non ſit condemnandus. Forma autem citationis ſit ſequens, redigenda in ſcriptis, & tranſmittenda eius copia ad reum abſentem.

111 Nos F. N. N. iudex tenore preſentium mãdamus tibi F.N. abſenti,& fugitiuo perſonaliter, ſi repertus fuerit, ſecus ad Conuentum tuæ habitationis Ciuitatis N. per affixionem præſentium, quatenus infrà ſpacium quindecim dierum incipiẽdorum ab hac die N. affixionis,quorum quinq;primos pro primo termino, alios verò quinq; pro ſecundo, poſtremos demum alios quinq; pro vltimo, & peremptorio termino monitorio aſſignamus, poſt præſentium intimationem tibi quomodolibet factam perſonaliter, & non per procuratorem, aut aliam interpoſitam perſonam coram nobis comparere debeas, ad parendum noſtris mandatis, & ad reſpõdendum ſuper his, de quibus fueris à nobis interrogatus in cauſa proceſſus contra te fabricati, prout in actis, & ad allegandum, & deducendum quicquid allegare, & deducere

cere poteris, quare condemnari non debeas ſuper delictum, ſeu delicta, de quibus in actis. Quod ſi infrà dictum tempus pro trina, & canonica monitione tibi facta non comparueris coram nobis, contra te ſupradictum F. N contumacem tamquam conuictum, & confeſſum rigoroſe procedemus, omni meliori, &c. in quorum fidem datum, &c.

112 Iudex autem mandare debet huius decreti affixionem in loco ſolito, vt poſſit innoteſcere reo fugitiuo, dum inueniri, & perſonaliter citari non poteſt per capturam. Notarius autem hunc actum affixionis ſic notabit in proceſſu.

113 Dominus mandauit affigi ſupra dictam citationem contra N. N. affixa autem fuit in Refectorio more ſolito, prout retulit F. N. cui affixio erat mandata.

114 Quod ſi comparuerit reus citatus mancipetur carceribus, & tempore opportuno examinetur, & in actis comparitio conſtare debet his verbis.

115 Comparuit F. N. N. die N. qui fuerat citatus, vt patet per edictum ſuper in actis regiſtratum, & in carceribus ſe conſtituit paratus obedire mandatis Domini.

116 Si non comparuerit infrà tempus prefixum, tamquam contumax condemnetur. Si miſerit procuratorem ad allegandam cauſam,

cur non potuerit comparere, ſi habuit legitimum impedimentum, non condemnetur, ſed moneatur iterum ad comparendum ſublato impedimento, ſi eius procurator allegauit impedimentum ineptum, condemnetur, quia quærit inique ſubter fugere iudiciū. Contumacia non comparentis ſic accuſatur.

117 F. N. citatum cum debitis temporum ſportijs ad comparendum, & allegandum cauſas, quare non debeat condemnari non comparentem intra prefixum tēpus, prout in actis, nec poſt, declarauimus eum contumacem, & inobedientem, & dignum caſtigatione, cuius contumaciam nobis accuſauit F. N. qui edictum citationis affixerat, & ita Dominus mandauit mihi Actuario hoc decretum contumaciæ in actis redigi, vt apparet hac die N.

SECTIO TERTIA.

De Forma Proceſſus Sententiatiui.

118 POſt concluſionem in cauſa, reſtat vt iudex veniat ad ſententiam, qua proceſſus concluditur. Tribus autem in caſibus fertur ſententia. *Primo* contra conuictum tantum, & non confeſſum, illo autem dicitur conuictus, contra quem duo ad minus teſtes omni exceptione maiores depoſuerunt

runt ex propria ſcientia, quod tale delictũ commiſit, Farinac. q.81. n.2. & q.63. n.234. *Secundo* contra confeſſum tantum ſponte, & non metu, Farinac. q 82. n. 3. *Tertio* demum in fortiori contra confeſſum, & ſimul conuictum, ex cap 1. & 2. 2. q. 1. & in his nullas contradicit.

119 Poteſt etiam condemnari ille, cuius delictum eſt pluſquam ſemiplene probatum per indicia vrgentia, & indubitata reſpectu delictorum difficilis probationis. Farinac. q. 86. à n.29 mitiori tamen pęna, & non ordinaria.

120 Ante lationem ſententię ea eſt in ſcriptis redigenda, & reus citandus eſt ad ipſam audiendam, ex Clem. ſæpe, de verb ſignif. Citatio ſic formetur.

121 Dominus intendens ferre ſententiam contra F. N. N. reum, mandauit ipſum citari, & vocari ad eam audiendam ſibi legendam & ad videndum, & audiendum ſe condemnari die N.

Sententia autem eſt ſequentis tenoris.

122 Chriſti nomine inuocato. Nos F. N. Magiſter in Sacra Theologia Ordinis N. Generalis, & iudex ordinarius, viſis, & diligenter examinatis, & diſcuſſis cauſis, indicijs, & probationibus allatis contra Te F. N. N. eiuſdem noſtri Ordinis ſacerdotem profeſſum, tuoq; examine, reſponſionibus, & de-

 ſen-

fenſionibus inefficacibus, & inutilibus, ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitiuam ſententiam, quam in his ſcriptis deferimus, dicimus, ſententiamus, pronuntiamus, atq; deffinimus, te præfatum F. N. eſſe punibilem, & condemnandum ad triremes per quinquenium, prout te condemnamus, & ſententiamus ad eandem pœnam triremium per quinquennium, omni meliori modo, &c.

Lecta, lata, & publicata fuit in faciem præfati rei, quam acceptauit hac eadem die N.

Ego N. dictam ſententiam mihi lectam acceptaui. Nos N. Generalis, & Iudex ordinarius.

123 Non eſt opus teſtibus, quando fertur in faciem rei, ſed ſolum quando fertur abſente reo, ſiue ſit fugitiuus, ſiue carceratus, in quo caſu carcerationis ei intimanda eſt ab aliquo de mandato iudicis, & poteſt publicari per Actuarium, redigendo hunc actum in proceſſu, ſimilibus verbis.

124 Ego N. Actuarius de mandato Domini, præfatam ſententiam ab eo latam in abſentia rei, legi, & intimaui eidem, quam acceptauit ſubſcribendo hac die N. Subſcribant ambo.

125 Sententiatus ſi reuera ſentit ſe grauatum poteſt appellare, & habet decem dies ab intimatione ſententiæ, Auth. Hodie C. de appel-

appellat. cap.3. §. 51. vero de appellat. in 6. ſi ſententiam acceptatione non ſubſcripſit. Appellatio ſic poteſt redigi in ſcriptis.

126 Ego F. N. ab hac veſtra ſententia admodũ R. P. iudex contra me iniuſte latam, ordine iuris non ſeruato, & teſtibus plures exceptiones patientibus, qua me ad triremes per quinquennium condemnaſti appello ad Reuer. Patrem Generalem noſtrum, proteſtando cum omni reuerentia, & humilitate; vt eam recipiatis, & nihil deinceps contra me innoueris, quia intendo innocentiam meam oſtendere, & hoc omni, &c. quibus de iure appellare poſſum, vocando in teſtes præſentes religioſos videlicet P. N. N. & P. N. N. vt dignentur ſubſcribere hãc meam appellationem factam hac die N. in hoc Conuentu. N.

127 Iudex iuſtam tantum, non friuolam, vt aiunt, recipere debet, vt omnes docent, & cum omnes iudices prætendant ſe bene geſſiſſe officium ſuum, ægre ferunt verbum appellationis. Forma admiſſionis eſt ſequens.

128 Dominus audita appellatione coram ſe facta à F. N. eam admiſit, ſi, &c. & in quantum, &c.

129 Nota autem, quod appellatio interponi poteſt etiam à Procuratore ipſius rei, qui illum defendebat. Admiſſa ergo appellatione dandi ſunt Apoſtoli, hoc eſt licentia ap-

pellandi cum copia proceſſus, vt valeat proſequi appellationem, non eſt tamen liberandus à carceribus, niſi de mandato eius, ad quem appellauit, qui videat, an iuſta ſit appellatio, poteſt etiam dimittere recto tramite ad ſuperiorem vide Guazin. defenſ. 36. cap. 24.

130 Expenſæ proceſſus fiunt ab ipſo reo, ex Gloſ. 11. oblatos Clem. quamuis 2. de appellat. Barb. hic nu. 8. Forma Apoſtolorum vt ſequens

131 Reuer. P. F. N. à me appelauit ad Paternitatem autem tuam Reuer. à ſententia definitiua, quam tuleram contra ipſum reum talem probatum legitime de N. perpetrato contra N. condemnando illum ad triremes per quinquennium, vt latius de his apparet in copia proceſſus eidem conſignati, admiſi appellationem, non quia reputem eam legitimam, ſed vt deferam P. T. Reueren. quare dictum appellantem cum literis reuerentialibus dirigo ad P. T. Reuer. vt iudices inter me, & ipſum. Datum

132 Quod ſi Dominus iudicet, appellationem vanam, & priuatam eſſe, eam non admittat, cum careat grauamine, ex quo cenſetur inanis, Farinac. q. 39. num. 23. Sic autem figuratur.

133 Dominus animaduertens interpoſitam appellationem per N. ſententiatum eſſe friuo-

lam,

lam, & iniquam eam non admiſit, ſed appellanti negauit, decernendo vt ſententia per ipſum exequatur, prout mandauit præſenti decreto hac die N.

134 Quando appellatio fit ad ſupremos iudices & reputetur friuola propter riuerentiam illis debitam, poteſt admitti hoc modo.

135 Quamuis appellatio ſua à F.N. à noſtra definitiua ſententia friuola ſit, & temeraria, tamen ob reuerentiam debitam iudici ıı.ad quem appellaſti, illi detulimus, dando tibi Apoſtolos reuerentiales cum copia proceſſus hac die N.

Forma Sententiæ condemnatoriæ cum expreſſione cauſæ.

136 IVdices altercantur, an cauſa ſit exprimenda in ſententia, dedimus formam negatiuam, modo ſubijciamus affirmatiuã. Vide Farinac. q. 17. n. 62. Sequentem ponimus.

137 Chriſti nomine inuocato. Nos Frater, &c. iudex ordinarius, viſis, & bene diſcuſſis omnibus, quæ ſpectant ad præſentem cauſam, & proceſſum contra te F. N. fabricatum, cum per teſtes nobis conſtet, quod commiſeris homicidium voluntarium in perſonam F. N. ac proinde ſacrilegum; ideo auctoritate officij noſtri, qua fungimur, te

ſupradictum F. N. homicidam ſacrilegum condemnamus, & definitione ſententiamus ad pænam triremium in perpetuum. Et ita dicimus, definimus, & pronunciamus omni meliori modo, &c. Lecta, lata, & publicata, &c.

Forma Sententiæ ferendæ contra Contumacem.

138 Abſens, & fugitiuus, contra quem propoſitum iam fuit edictum citatorium, de quo ſupra ſub n.3. elapſo termino non comparens, ſimili modo citandus eſt ad audiendam ſententiam tali die, vnde bene eſt expectare paucos dies poſt lapſum terminum, citatio autem erit ſequentis tenoris affigenda in loco ſolito.

139 Citauimus te F. N. alias perſonaliter, & quia inuentus non fuiſti ob tuam fugam, & latitationem te per edictum, de quibus in actis vocauimus affixum ad locum ſolitum, & non paruiſti, ideo te contumacem condemnare intendimus, ac proinde preſenti edicto ad locum ſolitum affigendum te citamus auditurum ſententiam, quam contra te feremus die N. Datum, &c.

140 Subſcribatur à Iudice, & Actuario, atq; affigatur, Actuarius vtatur his verbis.

141 F. N. deputatus ad affigendum dictam citatio-

tationem contra F N. retulit mihi Notario, & Actuario ſe illam affixiſſe in loco ſolito.

142 Adueniente die præfixo, qui deberet eſſe dies quintus à die affixionis, vt poſſit peruenire ad aures citat., Iudex ferat ſentẽtiam præſentibus duobus teſtibus ad hoc rogatis, qui poſſint de ea lata teſtificari, & omnes ſubſcribant. Forma ſententiæ ſequitur.

Chriſti nomine inuocato.

143 Nos, &c. cum fabricauerimus proceſſum contra F. N. ex quo conſtat, quod furatus fuerit Crucem argẽteam valoris centum aureorum, & ipſum citauerimus edicto publico ad comparendum coram nobis ad reſpõdendum, & ſe defendendum, & allegandum cauſas, quare non debeat condemnari, aſſignato tempore debito, intra quod, nec vltra illud comparuit, vnde contra illum contumacem pro conuicto, & confeſſo habentes, determinauimus procedere contra illum, iam citatum ad audiendam ſententiam, de quibus omnibus in actis, prout in his ſcriptis ferimus, condemnamus, & definitiue pronuntiamus eum condemnantes ad triremium per decennium, omni meliori modo, via, & forma.

Lecta, lata, & publicata, &c.

Forma Sententiæ ferendæ contra incorrigibilem.

144 ILle dicitur incorregibilis ad effectum eiectionis, ex communiori opinione, qui profeſſus ter punitus fuit de graui delicto eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, cum anno carcerationis in ieiunio, & pęnitentia, ſi poſt hæc non reſipuerit. Iudex ergo hunc condemnaturus poſt proceſſus fabricationem, citabit illum ad audiendam ſententiam his verbis.

145 Citatur F. N. Reus incorrigibilis ad audiendam ſententiam contra te ferendam circa eius incorrigibilitatem legendam in eius faciem die N. Qui vigore dictæ citationis comparuit die præfixa, & præſens fuit audiens ſententiam tenoris ſequentis.

Chriſti nomine iuuocato.

146 Nos F. N. N. Generalis Ordinis N. cum conſilio, & aſſenſu Patrum ad formam decretorum de eiectis, & Apoſtatis editorum à Sacra Congregatione de mandato Sanctæ memoriæ Vrbani VIII. viſis, & conſideratis omnibus, & ſingulis, quæ continentur in proceſſu formato coram Nobis, ſuper incorrigibilitate, F. N. eiuſdē noſtri Ord. profeſſi, alias in ſeculo nūcupati N. N. exptaq; eius incorrigibilitate ſpatio vnius anni carceris in ieiunio, & pænitentia, in quibus nihil profe-

profecit, ſed animo indurato in ea perſeuerauit, ne alios inficiat, tenore præſentium dictum F. N. ſententiamus, pronuntiamus, & definitiue declaramus, eſſe verum incorrigibilem, & vti talem à noſtra Religione per hanc noſtram definitiuam ſentētiam eijcimus, exuentes eum habitu Religioſo, & eiectum, ac ſpoliatum eſſe volumus, declarantes, eum deinceps eſſe ſubiectum iuriſdictioni, & obedientiæ Illuſtr. & Reuer. D. Epiſcopi N. ſub cuius obedientia dixit, ſe velle eſſe, ad quē propterea eum direximus cum notificatione ſententiæ. Et ita dicimus, & ſententiamus, omni meliori modo, &c.

Lecta, lata, & publicata, &c. ſubſcribat Reus, &c.

147 Similem referunt Pirrhus Corradus in ſua Praxi diſpenſ. Apoſtol. lib. 5. cap. 14. Donatus par. 2. tract. 8. q. 17. ex Marcello Megalio in ſua Praxi crimin. cap. 21. num. 9 & alij.

148 Notificanda autem eſt per Generalem Epiſcopo, cui ſubeſſe debet, vel mittendo copiam ſententiæ, quod forſan erit melius; vel ſimili forma.

Illuſtr. & Reuer. Domine.

149 Fabricauimus proceſſum contra F. N. noſtri Ordinis Sacerdotem profeſſum, in ſeculo nuncupatum, per quod conſtat illum ex lata per nos ſententia eſſe verè incorrigibilem ad formam Decretorum de Eiectis, &

Apoſtatis, quam ſecuti fuimus à principio actorum vſque ad ſententiam definitiuam declarantes de conſilio,& conſenſu Patrum, eum incorrigibilem, propter quod præter ea eundem habitu regulari ſpoliatum eiecimus à religione, & quia dixit, ſe velle viuere ſub obedientia dominationis veſtræ Illuſtr. & Reuer. ideo dimiſſimus illum ſub iuriſdictione, & obedientia veſtra, quam in Domino humiliter veneramur. Datū,&c.
Dominationis veſtræ Ill. & Reuer.
Humilis in Domino ſeruus. F. N. Generalis ordinis N.

Forma Sententiæ abſolutoriæ.

150 REus, quando clarè, & manifeſtè ſe defendendo probat ſuam innocentiam, abſoluendus eſt, & declarandus, quia reuera eſt calumniatus, licet id raro accidat, vt quis probet ſe innocentem, cum negatiua vix ſit probabilis, niſi coarctetur loco, & tempore, & alijs circumſtantijs. Requiritur autem citatio etiam Actoris, vt ſi velit dicere, & obijcere aliquid contra quærelatum, vt non abſoluatur. Forma abſolutoria.
Chriſti nomine inuocato.
151 Nos Frater N. iudex ordinarius, viſis, & diligenter diſcuſſis omnibus, & ſingulis actibus in proceſſu contra F. N. fabricato conten-

contentis querelatum à F. N. quod occiderit N. quæ querela cum nobis plane, & maniféſte conſtiterit ex ipſius querelati defenſionibus eſſe falſa, & calumnioſa, ipſumq; F. N. prætenſum reum, eſſe omninò immunem à tali delicto, vt concludenter probauit, ideò dictum F. N. querelatū per hanc noſtram definitiuam ſententiam, declaramus tale homicidium ſibi calumnioſe imputatum non perpetraſſe, ſed in hoc eſſe omninò innocentem, prout illum talem declaramus omni meliori, &c. Ipſumq; ſic abſolutum declaramus per dictam querelam fuiſſe effectum minime inhabilem ad quæcunque officia, ac ſi dicta querela nunquam lata fuiſſet contrà illum. Et ita dicimus, & ſententiamus.

Lecta, lata, &c. ſubſcribatur per duos teſtes ad id vocatos, non autem per abſolutum, cum agatur de eius intereſſe.

152 Calumniator puniendus eſſet pena talionis eadem ſcilicet pœna, qua fuiſſet punitus querelatus, ſi vere fuiſſet probatus reus, mitiori ergo pœna plectendus eſt ex vſu, cum pena talionis abierit ab aula iudiciorum. Citatur autem calumniator hoc modo.

153 Citetur per N. à nobis deputatum F. N. N. ad reſpondendum quare non debeat iudicialiter puniri pena talionis, eo quod calumnioſe accuſauit F. N. de cuius innocentia

conſtat ex actis, qui infra quinque dies debeat comparuiſſe coram nobis perſonaliter, ab affixione huius citationis, pro temporis ſpatio elapſo ſine alia citatione condemnabitur. Datum in camera noſtræ reſidentiæ die N.

154 Subſcribat iudex, & notarius, &c. copiam tradat deputato, vt inueniat calumniatorem, & conducat ad iudicem, vel affigat citationem, ſi ſe abſcondit, & referat.

155 Comparuit F. N. deputatus, & retulit mediante ſuo iuramento, non inueniſſe F. N. calumniatorem, & ideo citationem affixiſſe in loco ſolito Refectorij, prout ipſe mihi Notario relationem fecit.

156 Tranſactis quinque diebus, & non comparente, citetur auditurus ſententiam contra ſe ferendam eſt autem hæc.

157 Citetur per F N. deputatum F. N. contumax auditurus ſententiam contra ſe ferendam die N. per affixionem huius citationis in loco ſolito. Datum, &c.

F. N. deputatus ſuo iuramento retulit, ſe citationem affixiſſe contra F. N. in loco ſolito.

158 Adueniente die prefixo in citatione ad audiendam ſententiam contra calumniatorem contumacem iudex die illo præfixo ferat ſententiam his verbis.

Chriſti nomine inuocato.

159 Nos, &c. cum ex actis iudicialibus, quibus F. N. ſe defendit à calumnia ſibi illata à F. N. vt ex ſententia abſolutoria, qua illum innocentem declarauimus, conſtat, dictum F. N. abſentem, & contumacem tamquam conuictum,& confeſſum declaramus calumniatorem, & condemnamus ad triremes per quinquennium, & ita dicimus, ſententiamus, & pronuntiamus, prout de iure,& omni meliori, &c.

Lecta, lata, &c. ſubſcribant etiam duo teſtes ad id rogati.

160 Si comparuerit, carceretur, & expediatur vt ſupra, neque enim tam graue ſcelus debet remanere impunitum.

161 Quod ſi querelatus non probatur manifeſte innocens, ſolum indiciatus, actore nihil probante, vel inſufficienter, abſoluatur limitate, ab inſtantia, & ex deductis de præſenti, citato actore, vel fiſco, ſi quod habet allegare contra reum prętenſum, quod non debeat abſolui ab impetitis. Sententia ſic fertur.

Chriſti nomine inuocato,

162 Nos F. &c. cum ex reuolutione proceſſus per nos fabricati contra F. N. deuenerimus in cognitionem eum non probari culpabilem, nec de iure eſſe punibilem, ideo dicimus, & ſententiamus, & declaramus, præ-

ſatum F. N. querelatum non fuiſſe repertum culpabilem, nec de iure punibilem de delicto, de quo in actis, conſequenter illum à præſenti inſtantia, & iudicio abſoluimus, & liberamus, abſolutumq; & liberatum pro nunc declaramus, abſq; pręiudicio probationum in futurum emergentium, &c.
Lecta, lata, &c.

Forma Senteniæ inhabilitatis.

163 RETULI ſub num. 66. formam proceſſus impeditiui, ne quis promoueatur ad aliquod officium, modo referenda eſt forma ſententiæ ſequentis tenoris.
Christi nomine inuocato.

164 Nos Frater N. viſo proceſſu contra te F. N. per nos fabricatum, ex quo conſtat, tuam opinionem eſſe valde grauatam circa delicta inebriationis, & turpiũ colloquiorum, quæ dedecent prælatos, & reliquos officiales, ideo tenore præſentium pronuntiamus, & dicimus, definitiue declarantes, te eſſe inhabilem, & indignum vt promouearis ad prælaturas, & dignitates eccleſiaſticas, adeo quod ad illas eligi non valeas, & electum in eis ne valeas confirmari, & hoc omni meliori modo, &c.

165 Nota autem, quod etiam in his reus citandus eſt non ſolum ad ſe defendendum,

ſed etiam ad audiendam ſententiam contra ſe ferendam, quia iſtæ duæ citationes ſunt de ordine eſentiali iuris, & dum reus præſens eſt, eſt præſumitur citatus, ad quod ſufficit probata eius præſentia in actis, aut per ſubſcriptionem ſententiæ à ſe auditæ, aut per actum expreſsum Notario in proceſſu, licet formalis citatio non exprimatur in proceſſu.

Forma Sententiæ Priuatiuæ Officij.

166 QVandoq; ſolent delinquere officiales vnde ſunt ſuis officijs priuandi, abſoluto ergo proceſſu informatiuo, & defenſiuo, & in cauſa concluſo, poſt terminationem defenſionum inutilium, iudex citat reum ad audiendam ſibi legere ſententiam ſequentis tenoris.

In nomine Chriſti.

167 Nos Frater, &c. viſo proceſſu per nos fabricato contra te F. N. N. Priorem noſtri Conuentus N. in quo conſtat, te bona monaſterij dilapidaſſe non ſolum mobilia in notabili quantitate ad ſummam valoris librarum noſtræ monetæ ducentum, & præterea contra conſtitutiones Apoſtolicas, & decreta Sacræ Congregationis de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſine eiuſdem licentia vendidiſſe domum Conuentus pretio librarum

duarum

duarum mille huius monetæ, quare tenore præſentium te hic præſentem declaramus incidiſſe in pęnas contra alienantes ſine ſolénitatibus requiſitis à Sacris Canonibus, & decretis ſupradictis inflictas, proinde te eſſe excommunicatum per Extrauag. *Ambitioſæ*, & ſubſequenter priuatum officio Prioratus, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuam inhabilitatem ad illud contraxiſſe, & ita pronuntiamus, & declaramus, te eſſe prædictis priuatum.

Forma Autenticationis Proceſſus.

168 EGo N. N. electus Actuarius loco Notarij, vt apparet initio actuum huius proceſſus, ea omnia, & ſingula, quæ ſunt ſcripta in hoc proceſſu, vſque ad ſententiam latam incluſiue, fideliter ſcripſi, & redegi in actis huius proceſſus, de mandato N. N. iudicis de quibus omnibus fidem facio, & pro veritate me ſubſcripſi.

ADDITIONES.

169 PRo perfecta intelligentia hactenus dictorum in materia proceſſuum, reſtant explicanda, & diſcernenda ſubſtantialia proceſſum conſtituentia ab accidentalibus dictis apicibus iuris, quorum omiſſione proceſſus non vitiatur.

170 Suppono, ſine proceſſu ſcripto neminem poſſe condemnari iudicialiter, eſt enim pręſuppoſitum ſubſtantiale,& eſſentiale ad ſententiam, quæ ſine illo ferri non poteſt, ex cap. quoniam 11. de probat. Clemen. ſæpe, de verb. ſignif.

171 Ordo autem iuris duplex eſt, vnus eſſentialis, alter accidentalis, huius omiſſio non vitiat proceſſum, ſed illius tantum. Eſſentialia autem ſunt hæc querela, Actor, qui profert querelam denuntiando, vel accuſando. Productio teſtium, eorum examen, iuramentum calumniæ ex parte querelantis, & veritatis dicendæ ex parte teſtium, viſitatio corporis delicti; Iudex miniſtrans iuſtitiam partibus, Notarius vel formalis, & legalis, vel electus à iudice ad ſcribendum acta proceſſus, citatio rei ad tria, ad reſpondendum, ad ſe defendendum, & ad audiendam ſententiam contrà ſe ferendam.

172 Hæc ſunt eſſentialia iudicij, & alia infra, quæ

quæ in proceſsu debent apparere ſcripta, aliter omiſſio cuiuslibet inficit proceſsum, & reddit nullum, in his autem nullus contradicit. Reliqua dicuntur de ordine accidentali iuris, & de apicibus eiuſdem, quorum omiſſio non vitiat proceſsum. Eſsentialia autem dicuntur, quia neceſsaria ſunt vel ad inueſtigandam veritatem, vel ad eam ſtabiliendam. *Ghiſler. cap. 11. per totum, & deducuntur ex Clem. Sæpe de verb. ſignificat.*

Quinam ſint Apices iuris?

173 APices iuris ſunt quædam ſubtilitates, quæ non ſunt, neceſsariæ ad inueſtigandam veritatem, nec ad illam ſtabiliendam, cum ſine illis haberi poſſit, vnde eorum omiſſio non irritat proceſsum. Ad has iudices regulares non tenentur, *ex cap. 8. de ſtatu monach. cap. 24. de accuſat. & cap. 26. eod.* de iure communi, habent etiam priuilegium Bonifacij VIII. regiſtratum in B. N. Bulla 4.

174 Iuris apices referuntur in Clem. Sæpe, de verb. ſignif. & ſunt exactio libelli, conteſtatio litis, feriæ, dilationes, exceptiones, appellationes dilatorię, & fruſtratoriæ, contentiones procuratorum, & aduocatorum.

175 Receptio teſtium poſt publicatas atteſtationes; *Farin, q. 75. num. 407. Peyrin cap.*

16. *in*

16. *in Formul. lit. P. num.* 3.

176 Infamia præuia ad inquiſitionem ſpecialem eſt de apicibus, cum quilibet iudex ſine illa procedat, poſita iudiciali querela, quæ ſuccedit loco infamiæ, *Farinac. q. 9. num.* 21. vnde ſuperiores per eam clauſulam. *Ad aures noſtras peruenit* illam ſupponunt, in caſu, quo eſset neceſſaria, vt dixi ſupra num. 9.

177 Inſcriptio accuſatoris, quæ ſcilicet dicit expreſſionem pęnæ talionis, ad quam ſe obligat accuſator, eſt de apicibus iuris. *Farinac. q.* 16. *num.* 3. *Carena par.* 3. *tit.* 1. *num.* 7. vbi tamen ſtatutum eſt, inſcriptio huiuſmodi exprimenda eſt ab accuſatore ſcribenda in actis, ab alijs non.

178 Conteſtatio litis in quantum dicit ſimultatem actoris, & rei in conteſtando litem, interrogando, & reſpondendo, eſt de apicibus iuris, *Peyrin. cap.* 16. *num.* 3. *Farinac q.* 10. *num.* 55.

179 Repetitio teſtium eſt de apicibus iuris, quomodo fuerunt examinati parte non citata, probant ergo, ideo non repetendi, *Petrus ab Angelis cap.* 17. *num.* 6. *Lezana par.* 1. *cap.* 27. *num.* 13. Si repetitio petatur à reo, vel vbi eſt aliquis defectus, quo veritas apertè non fuit reuelata, tunc repetitio neceſsaria eſt, quia conducit vel ad veritatem, vel ad defenſionem rei.

180 Publicatio proceſsus eſt de apicibus iuris, quo

quo ad formalitatem verborum, eſt vero de ſubſtantialibus traditio copiæ proceſsus, ſine quo reus non poteſt ſe defendere, *Ghiſler. cap. 19. num. 11. Mirando q.23. concl. 1.* licet non petatur, *Sanch. lib. 6. conſ. cap. 32. Farinac. quæſt. 39. num. 91. & 98.*

181 Expreſſio nominum teſtium in copia data reo, eſt de apicibus iuris, *Mancinus de cauſis Regul. cap. 17. de Angelis cap. 19. num. 8. Mirand. q. 14. num. 17. Rodriq. tom. 2. q. 16. art. 1.* ſi timetur calumnia, & agatur de re grauiſſima dentur nomina.

182 Depoſitio teſtis recepta in ſcriptis per Notarium non eſt de apicibus iuris, ſed de eſſentialibus, *ex cap. quoniam 11. de probat. Clem. ſæpe, de verb. ſignif. de S. Iuliano cap. 5. Aduert. 15. §. 2. de Angelis cap. 16. num. 2.* ſcriptura notarij dicitur de apicibus, ſecundum *Farinac. q. 80. num. 52. ex eo de Bictis q. 55. num. 13.*

183 *In Chriſti nomine*; Eſt apex iuris, cum multi proceſsum exordiātur alijs verbis, id enim non conducit ad inueſtigandam veritatem, ſed ad Deum colendum, qui in omni noſtra actione vocandus eſt.

184 Tempus, & locus, in quibus fabricatus eſt proceſsus pertinent ad eſsentialia proceſsus *Merlin. decis. 171. num. 5. & 6.* item ſubſcriptio Notarij, ſeu Actuarij ſaltem in fine proceſsus, & non in ſingulis depoſitionibus,

Lud.

*Ludouiſ.deciſ.*368. Eſt enim proceſsus quoddam inſtrumentum, quod ſine illis pro nullo habetur, nec fides præſtatur.

185 Subſcriptio teſtis, & rei, eſt de apicibus iuris, nam ſola Actuarij ſubſcriptio dat fidem contentis in proceſsu, & dictum teſtis, qui poſtea non vult ſubſcribere, valet, ſecundum *Portellum p.* 1. *caſu* 23.*num.*1.*&* 2. Aliter dictum neſcientium ſcribere non valeret, ſubſcriptio igitur eſt de apicibus iuris, cum ſit de conſuetudine, non de natura iudicij.

186 Relectio, quam facit Notarius teſti, eſt de apicibus iuris, ſicut & facta reo, cum non conducat ad inueſtigationem veritatis iam notificatæ, ſed ad ſatisfactionem deponentis.

187 Iuramentum eſt quidem de ſubſtantia iudicij formalitas vero ſub illis verbis Delato ei iuramento de veritate dicenda, iurauit tacto pectore, ſi eſt Sacerdos, vel Sacris Scripturis, pertinet ad apices iuris, vnde ſufficit quod pro eius ratione eſsentiali, quod de eo conſtet per hoc verbum *Iurauit*, *&c.* immo & per enuntiatiuam ſub his verbis *Teſtis iuratus*, præſente iudice, vt fit in criminalibus, *Beltram. ad Ludouiſ. deciſ.* 39. *num.* 9. *Farin. q* 74. *num.* 74.

188 Indictio, & annus Pontificis ſunt de apicibus, dum non conducunt ad inueſtigandam

veri-

veritatē facti, ūde eius omiſſio ſicut nō vitiat teſtamentū, *Surd. cōſ.* 390. *n.* 33. *cum alijs Ottobonus deciſ.* 251. *num.* 51. ita neque proceſſum. Pari autem paſsu currit tempus vtriuſque ergo idem eſt ius vtriuſq;

189 Iuramentum fidelitatis in Actuario non reuera Notario loco Notarij, putatur de ſubſtantia proceſsus quod ad fidem, *Peyrino ad conſt 9 Pij V. num.* 6. *Portell.* 11. *Notarius, ab Angelis cap* 13. *num.* 4. Ego ſentio oppoſitum, quia nullibi hæc obligatio imponitur, immo oppoſitum colligitur ex cap. quoniam 11. de probat. vbi loco Notarij deficientis petuntur duæ perſonæ honeſtę ad ſcribendum proceſsum nulla facta mentione iuramenti. Nec Secretarij ſuperiorum iurant, & tamen creditur illis in ijs, quæ ſpectant ad eorum officium. Nec in citata Bulla creandi Fratres in Notarios ad notificandum, & intimandum priuilegia, fit aliqua monitio, quæ debeant iurare.

190 Notarius, ſeu Actuarius eſt de eſsentialibus proceſsus, cum iudex idem eſse non poſſit, & Notarius, cap quoniam 11. de probat. *Rodriq. tom.* 2. *quæſt.* 14. *art.* 2. Non eſt de apicibus iuris, *de Angelis cap.* 13. *num.* 1. Vnde ſi iudex interrogaret ſimul, & ſcriberet nullum faceret proceſſum, *Barb. ad dictum cap. num.* 24.

Teſtium

191 Teſtium conditiones, quod ſit talis ætatis, profeſſionis, artis, quod communicauerit in Paſchate, ſunt de apicibus iuris, & exprimuntur, vt iudex ſciat eorum ſtatum, non vt ex illis eliciat veritatem, quæ pendet tantum ab eorum ore iurato.

192 Inſtrumenta, quibus commiſſum fuit delictum, vel ſignum videntur pertinere ad corpus delicti, ideò de illis apparere debet in proceſſu vti conducentia ad cognitionem veritatis, vnde non ſunt de apicibus iuris.

193 Recognitio ſcripturæ ſpectat quaſi ad corpus delicti, vel ad probationem, ideo debet de ea conſtare in proceſſu, & recognoſci ab eam ſcribente, & in actis redigi.

194 Teſtes fidem facientes de aliquo actu extra proceſſum facto per Actuarium, vel Iudicem, vel ſubſcripti proprijs manibus, non ſunt examinandi in proceſſu, neq; ab eis iuramentum exigendum, quia non ſunt teſtes probatiui, ſed quaſi inſtrumentarij, vnde ſufficit iudici recognoſcere ſcripturam, & eorum manum eſſe veram illorum, de quo actu conſtet in proceſſu.

195 Inuentarium recognoſcendum eſt ab eius Authore, contra quem plene probat, *l. fin. C. de arbitr. tutel. Caſtr. lib. 2. conſ. 393. n. 2. Seraph. deciſ. 1394. Surd. conſ. 390. num. 27.*

196 Inuentarium deperditorum fit coram eo, qui res habebat in cuſtodiam, ſi fieri poteſt,

aliter

aliter immediate, & ſtatim poſt fugam, aut [carcerationem ſi commode non poteſt è carcere reduci ad locum vbi ſit inuentarium, vel quando ab eo tranſmittuntur claues per perſonam, quæ non potuit vti clauibus conſignatis ſuperiori. In his tribus caſibus pręſumendum eſt rite factum, ſine fraude.

197 Silentij impoſitio facta teſtibus eſt de apicibus iuris, vnde omiſſa non vitiat proceſſum.

198 Acceptatio depoſitionum facta à iudice eſt de apicibus iuris, cum non conducat ad veritatem indagandam, ſed vt iam indagatam acceptetur à iudice, qui depoſitionem non probando cenſetur acceptare.

199 Tactus pectoris ſacerdotalis, ſeu ſcripturarum eſt ſolemnitas, & apex iuris in teſtibus, & alijs, quia iuramentum conſiſtit in ſola inuocatione diuina, *Sanch. lib.5. cap.1 num.3.*

200 Non eſt neceſſarium iudici delegato publicare literas patentes, ſed ſufficit eas nominari in proceſſu, & producere, cum datur copia proceſſus reo, niſi petatur, ab aliquo nolente credere, tunc tenetur eas exhibere, *cap. Eum in iure 31. de offic. deleg. ibi Barb. num.2.*

201 Torturandum non eſt neceſſe monere antecedenter, ad occurrendum friuolæ appellationi, vt dixi hic num 86.

202 Concluſio in cauſa ſpectat ad apices iuris, *Maranta par.6. Act.15. num.9. dixi num.95 & 109.*

203 Non eſt prudentis iudicis eodem die, neq; ſequenti, quo reus renuntiauit defenſionibus ſententiare, quia dicitur feſtinanter, & præcipitoſe lata, vnde bonum eſt expectare quintum diem à renuntiatis, & contra abſentem ſaltem expectandum vſque ad ſpatium elapſum, & poſtea citare ad audiendam illam. Vide Guazin. defenſ.35. cap.21.

204 Recognitio rei inter alias ſimiles, ac proinde comparatiua non videtur neceſſaria, quando perſona exactam habet notitiā rei, de qua agitur, cum ea comparatio fiat reſpectu eorum, qui rei imperfectam habent cognitionem, vt iudex ſe hoc modo certificare poſſit.

205 Incognitus nomine, non perſona indiuiduari, & cognoſci poteſt perſonaliter *primo* ſic, ſi enim eſt membrum alicuius collegij, aut familiæ, omnes vocantur ſimul, & ex illis iudicatus, & manu tactus dicitur plane cognitus, & recognitus; *ſecundo* ſi incognitus abſit ab alijs omnibus ſimul in vnum cōgregatis, & recognoſcens dicat, inter hos non eſt ille, cum quo egi, quia ille erat barbæ nigræ, uel imberbis, vel claudus, vel monoculus, &c. manifeſtum eſt, abſentem eſſe illum, qui erat incognitus. *Tertio*

cen-

cenſetur bene cognitus, & indiuiduatus ſi aliquid egit, quod dependet ab officio ſuo, vt ſi donauit, vel vendidit rem ſibi ſoli traditã in cuſtodiam, ex his enim circunſtantijs excluditur quilibet alius, & ſic ipſe indiuiduatur.

206 Subſcriptio ſententiæ per condemnatum eſt de apicibus iuris, vnde ſi reſiſtat, nihil refert, cum de ea ſufficientem fidem faciat Notarius, & Iudex vnde nec eſt neceſſaria ſubſcriptio teſtium, ſicut enim de cæteris ſolus Actuarius fidem facit, ita & de ſententia lata, immo condemnatus appellans ex ſuo facto probat illam.

207 Sententia ferri poteſt in abſentem ſiue carceratum, qui vocari poteſt vt ſit præſens, & eam audiat, vel fugitiuum, modo illi poſtmodum intimetur coram teſtibus, vnde exiſtens Iudex Regij poteſt ferre ſententiam contra reum carceratum Bononiæ, prius eo citato, & monito qualiter tali die fertur contra eum ſententia.

208 Correctio fraterna in omni iudicio eſt de apicibus iuris, dum omiſſa non vitiat proceſſum.

209 Minori querelato non datur curator, cum id ſit de apicibus iuris. Farinac. quæſt.81. num 370. abijt enim in diſſuetudinem.

210 Appellatio in ſcriptis non eſt neceſſaria, cum ſit de apicibus iuris ſcriptura in illa, de

Bictis

Bictis q. 146. num. 11. redigenda tamen in ſcriptis eſt, vt de ea conſtet.

211 Non eſt neceſſe reum ponere ad largam pro ſe defendendo, tamen illi danda eſt commoditas alloquendi Procuratorem, & Aduocatum ſaltem præſente Iudice, vel Fiſcali, vel Actuario. *Ambroſ. lib. 3, cap. 1. num. 27. & ſeq. Megal. in ſua praxi cap. 15. num. 13.*

FINIS.

HOC opus inſcriptum Formularium Criminale, ab R. P. F. Franciſco Bordono Sacerdote Tertij Ordinis Sancti Franciſci compoſitum; Ego F. Hyppolitus Camillus Ruggerius Sacræ Theologiæ Lector, ac Vicarius Sancti Officij Mutinæ, vidi, & qua potui diligentia perlegi, in quo nil fidei noſtræ diſſonum inueni. Quapropter dignum, vt Typis, mandetur, exiſtimaui.

Datum Mutinæ die 24. Septem. 1662.

F. Hyppolitus Camillus, qui ſupra, &c.

IMPRIMATVR

F. Hyacintus Maria Granaria
Inquiſitor Mutinæ.

EDITIO

Huius opuſculi varijs ſcatet erroribus, corriguntur tantum, qui ſenſum variant, vel obſcurum reddunt.

ERRORES	*Folium*	*Linea*	*CORRECTI*
Baptizandus	1.	8.	Baptizatus
Coexercitium	15.	20.	Eorum exercitium
Fuiſſet	18.	19.	Feciſſet
	20.	11.	Diſt.24. *adde* Qui
Gloſ. 5.	28.	26.	Gloſ V.
Gloſ. 5.	36.	14.	Gloſ. V.
Proceſſum	73.	20.	Proceſſu
Fuzin.	76.	20.	Guazin.
Et	76.	30.	10.
	86.	27.	Sufficit autem Domino *adde* Producere
Viris	95.	9.	Iuris
Euidenter	98.	23.	Excludentes
Sportijs	102.	8.	Spatijs
Priuatum	106.	25.	Friuolam

Fol. 70. extremis litteris. Verba hæc; Me fideliter in &c. exarando, proteſtando prout in his ſcriptis proteſtatur. *Sic lege*. Me fideliter illum ſcripturum, & Dominus in his ſcriptis proteſtatur.

ANT 1.315.898

6363

A 79.

BIBL
VI